

AD

AUDIENDAM ORATIONEM

DE

RATIONE, QUAE INTER THEOLOGIAM DOGMATICAM ETHICENQUE THEOLOGICAM INTERCEDIT,

PRO

ADITU MUNERIS PROFESSORIS ORDINARII

IN ORDINE THEOLOGORUM EVANGELICORUM UNIVERSITATIS FRIDERICIAE GUILELMIAE RHENANAE

DIE XII. M. NOV. A. MDCCCLIX. H. XII. IN AULA MAGNA HABENDAM

QUA PAR EST OBSERVANTIA INVITAT

ALBERTUS RITSCHL

PHIL. ET THEOL. DR.

INEST COMMENTATIO DE IRA DEI.

BONNAE

FORMIS CAROLI GEORGI.

MDCCCLIX.

I.

Toties in libris sacris iram dei historiarum scriptores memoriae commendant, prophetae comminantur, pii deprecantur, ut eius notionem cum ad illustrandam religionem tum ad concinnandam scientiam theologicam aliquo modo pertinere recte suspiceris. Neque vero probatur diligenti bibliorum lectori commentum illud Marcionis, solis in libris Veteris Testamenti deum quendam iratum repraesentari, per Christum autem dei bonitatem tam expresse praedicatam esse, ut merito dubitetur, num idem deus Iudaeis atque Christianis sese manifestaverit. Nam etiam si ad Paulum tantum respexeris, quem suae scientiae auctorem esse Marcio finxit, irae divinae praeconem illum esse, ipsa, quam Marcio agnovit, epistola eius ad Romanos indicat. Si vero sermones domini, quos evangelia canonica continent, ceteraque apostolorum documenta perlustraveris, rariora quidem, quam in Vetere Testamento, non autem obscuriora de ira dei effata reperies. Quapropter doctoribus ecclesiae officium iniunctum erat, ut in efformanda doctrina de deo etiam huic attributo ius suum servarent; idque Tertullianus, Marcionis adversarius praecipuus, ita exsecutus est, ut non solum iram iustitiae dei boni et perfecti necessariam vindicaret, sed etiam affectum illum indignationis vehementem ad movendam voluntatem dei indicis sane competere perhiberet (*adv. Marc.* I, 25. 26). Utrumque etiam Lactantius Firmianus in libro de ira dei ad Donatum scripto (cap. 5. 15—18) adversus Epicureos et Stoicos eleganti eademque sagaci demonstratione defendit. Displicuit vero haec opinio, affectum irae deo tribuens, quippe quae indignum deo aliquid asserere videretur, sequentibus omnium aetatum theologis orthodoxis; qui quoniam notionem dei omni mutationis et passionis specie liberare nitebantur, operam dabant ut varia illa, quae in scriptura sacra de ira dei narrantur et praedicantur, ad formam iustitiae dei prorsus aequalis sibi omnique mobilitate carentis redigerent. Inter patres instar omnium confer Augustinum *de civitate dei* IX, 5: „Istarum nomina passionum consuetudine locutionum humanarum usurpantur, non propter affectionum infirmitatem: sicut ipse deus secundum scripturas irascitur, nec tamen ulla passione turbatur. Hoc enim verbum vindictae usurpavit effectus, non illius turbulentus affectus"; *in Psalmum* VI. *cap.* 3: „Qui motus (furoris) non tanquam animae deo tribuendus est, de quo dictum est, tu autem domine virtutum cum tranquillitate iudicas (Sap. 12, 18). Quod autem tranquillum est, non est perturbatum. Non ergo cadit in deum iudicem perturbatio, sed quod in eius ministris fit, quia per leges eius fit, ira eius dicitur;" — *Chrysostomum de compunctione ad Stelechium lib.* II, 4 (*Opp. ed Montefalc. Tom.* I. *p.* 146): *Δαυὶδ θυμὸν καὶ ὀργὴν λέγει τὴν ἐπίτασιν τῆς τιμωρίας· οἶδε γὰρ παντὸς πάθους τὸ θεῖον ἀπηλλαγμένον.* — Quibus patribus placet continuo adiungere Io. Gerhardum, illorum iudicio his argumentis adstipulantem: „Ira dupliciter considerari potest, primo materialiter, quo respectu definitur sanguinis aut caloris eius, qui circa cor est, fervor et ebullitio; secundo formaliter, quo respectu definitur appetitus doloris vicissim adversario inferendi. Neutro autem modo deo proprie tribui potest ira. Non priore, quia corporalis illa notio in incorporea dei

essentia locum non habet. Non posteriore, quia deus, utpote immutabilis ἀπαθής, dolorem aut tristitiam pati nequit, ac proinde appetitus doloris vicissim inferendi in eo non habet locum" (*Loci theologici, ed. Cotta, Tom.* III. *p.* 176). — Quum igitur Augustinus notionem irae dei per „iustum eius iudicium, quo irrogantur poenae peccatis" (*de civ. dei* XV, 25) explicaret, non dubium reliquit, utrum actum puniendi in illo iudicio inclusum, an hoc ab illo seiunctum, utrum iram dei quocunque temporis momento agentem, an in eius animo constanter reservatam imaginaretur. „Neque enim", dicit, „sicut hominem, ita deum cuiusquam facti sui poenitet, cuius est de omnibus omnino rebus tam fixa sententia, quam certa praescientia". Itaque si ira dei iustam eius voluntatem puniendi peccata significat, negatio cuiusvis in deo mutationis id efficit, ut notio irae adversus peccatores a notione odii non amplius possit distingui. Nam ira talis erga adversarios affectus est, quem, postquam gestibus vel verbis vel actibus vehementibus sese manifestavit, poenitentia aut misericordia excipere solent. Quamobrem etiam in scriptura, quoties ira dei lectorum meditationi repraesentatur, toties fere, id quod Augustinus improprie dictum esse vult, deum irae poenituisse, vel deum ab ira ad misericordiam sese vertisse narratur. Si vero hanc inter iram et misericordiam vicissitudinem a dei voluntate necessario excludendam Augustinus censuit, metuo, ne irae odium substituerit, quod eo firmius et constantius animo insidere solet, quo minus facile ad agendum progreditur, et quod sive in animo occultatum, sive documentis quibuscunque exhibitum poenitentiae et misericordiae maxime alienum est.

Fructus quosdam suos haec ex dei aequalitate et immobilitate derivata interpretatio irae in doctrina de peccato originali ab Augustino efformata exseruit. Nam si peccatum hominem dignum poena efficit deumque ad voluntatem puniendi provocat, et si ira hanc voluntatem significat tam diu durantem, usque dum poena aut solvitur aut condonatur, sequitur, ut peccato, cui totum hominum genus alligatum esse videtur, ira dei item continua obvertatur. Quam sententiam ut ipse Augustinus animo conciperet, insuper duobus et Ioannis et Pauli dictis commotus est, quae, quum a ceteris de ira dei testimoniis quodam modo distent, magnamque in vulgari de ira dei doctrina auctoritatem habeant, iam nunc indicare lubet. Doctrina illa Augustini de peccato itemque culpa originali eum finem habet, ut vis sacramentalis, quae in remittendis peccatis versatur, baptismo etiam infantium vindicetur. Cuius sententiae tanquam firmissimum argumentum Augustinus verbum illud Pauli allegavit, Fuimus aliquando naturaliter filii irae (Eph. 2, 3). Sed addidit etiam, quod Ioannes dicit, Qui incredulus est filio, non habebit vitam, sed ira dei manet super eum (Ioh. 3, 36). Quum ergo infantes inter credentes censeri non possent, contendit necessarium esse, ut ipsi pro incredulis, ideoque irae dei subiectis haberentur, nisi gratia dei baptismo in eos collata ab ira liberarentur (*de peccatorum meritis et remissione* I, 20. 21). Itaque, ut ira voluntas quaedam dei habitualis adversus peccatores esse videretur, talis opinio, ut e supposita immobilitate et immutabilitate essentiae divinae prognata erat, ita doctrina de culpa hominum originali, qua carere Augustinus non potuit, confirmabatur. Cuius doctrinae plenum et rectum sensum quum reformatores ecclesiae redintegrarent, notionem etiam irae divinae ei coniunctam in examen vocare non putarunt necessarium, sed ut firmum et indubitatum dogma theologiae evangelicae inseruerunt. Illorum vero sententiam a nobis recte explicatam esse, omissis aliorum votis, Leonardi Hutteri verba aperte confirmant: „Unde (quod omnes homines cum peccato nascuntur) fit, ut omnes homines in odio sint apud deum et natura filii irae" (*Loc. theol.* VIII, 6).

Deinde si quaeritur, qua ratione dei ira ab hominibus tandem sese avertat, Augustinus nihil aliud docuit, quam deum, quum per Christum gratiam in locum irae substituerit, illamque per baptismum cuique homini conferat, ipsa peccatorum remissione eum ab ira sua eximere. Nondum dubitavit Augustinus, quin deus voluntatem peccatoribus infensam quantumvis fixam te-

immutabilem cum gratiosa permutare possct, eamque ob rem nondum consideravit, an forte ad Christum ipsum ira dei referri deberet. Neque Anselmus quidem Cantabrigiensis sua demonstratione, cur deus homo factus sit, hoc officium explevit. Quum vero theologi Lutherani eo usque progressi sint, ut Christum terrores et angustias vere infernales sensisse ideoque infinitam dei iram placavisse contenderent (Hutteri *loc. theol.* XII, 11; Gerhardi *loc. theol. tom.* VII, *p.* 55), unde demum gratia dei ad quemvis fidelem derivari posset, suo iure id obtinuerunt, quod ex Anselmi de iustitia dei doctrina recte excussa et expolita sequitur. Minime quidem facimus cum illo Rationalistarum antesignano, qui veram iustitiam dei ex eius revelatione testimoniisque scripturae sacrae cognoscere aspernatus, talem sibi iustitiae divinae notionem effinxit, qua se Iudaeis et paganis secundum solam rationem satisfecisse merito imaginari potuit (*Cur deus homo* II, 22). Si vero iustitia divina in ea lege nititur, quod „nullatenus debet aut potest accipere homo a deo, quod deus illi dare proposuit, si non reddit deo totum, quod illi abstulit, ut sicut per illum deus perdidit, ita per illum deus recuperet" (*l. c.* I, 23), et si loco hominum Christus id praestitit, quod deus iustitiae servandae causa ab hominibus efflagitavit, theologi Lutherani theoriam Anselmianam in maiorem dei honorem excoluerunt, quam Anselmus ipse et omnes medii aevi theologi. Quis enim non videt, ius illud, quod inter deum hominesque intercedere Anselmus posuit, secundum quod Christum opere quodam supererogatorio honorem dei ab hominibus laesum restituisse perhibuit, iuri quod dicimus privato exaequari? Dignumne vero est deo, huiusmodi rationem inter ipsum atque homines statui? Ideo, siquidem iustitiam dei ad aliquam humani iuris formam redigere, et, quod Christus tanquam mediator inter deum et homines egit, secundum talem regulam explicare fas est, theologi Lutherani non possunt non laudari, quod explicando Christi operi satisfactorio normam quandam iuris publici criminalis subiecerunt. Nam utut de terroribus animi, qui Christum mortem sibi certam exspectantem perturbarunt, iudicabitur, quos Lutherani indicia irae dei in eum immissae interpretabantur, iustius erit, huius sententiae radices indagare, quam cum Bellarmino (*de Christo* IV, 8) novam et inauditam impietatem detestari, quam, qui illud statuerunt, commisisse videbantur. Haec vero illius opinionis ratio manifesta est, quod legem dei, quam hominum genus violasse videtur, secundum quam dei ira ei iniuncta esse dicitur, auctoritate iuris publici instructam esse, ideoque satisfactionem Christi vicariam in omnium malorum, quae legem violatam sequuntur, perpessione constitisse oportebat. Si enim mors Christi honori dei restituendo quoddammodo convenire videtur, deum non nisi privatam rem cum hominibus gerere statuitur; si vero excelsitati dei solum id aequum esse potest, ut eius iustitia publicum ius hominibus praescribat, iram dei iustam, qua contra transgressores legis movetur, ille perferre debuit, quem loco peccatorum iustitiae divinae satisfecisse omnes Anselmi asseclae proclamant. Sed hoc loco non uberius tractabimus eam quaestionem, quae iustitiae divinae definitio deo digna indagari possit, vel quomodo divina iustitia ab humana recte distinguatur. Quae nunc innuimus, in eum finem allata sunt, ut sententia theologorum, qui Lutherum in eo sequuntur, ut iram dei non solum peccato originali, sed etiam passioni Christi interpretandae applicent, a specie commenti arbitrarii liberaretur.

At perlustrantibus nobis opera veterum theologorum dogmatica non potest non mirum videri, quod tanta animi securitate illi dogmata tam gravia unico effato Paulino *ἦμεν τέκνα φύσει ὀργῆς* (Eph. 2, 3) superstruere conabantur. Nam nusquam certis verbis scripturae sacrae confirmatum est, Christum revera iram dei sua conscientia expertum esse, sed hoc secundum necessitatem rationis potius ex eo, quod ira dei in genus humanum legitime tollenda erat, collegerunt, et narrationi de terroribus Christi animum in Gethsemane perturbantibus quasi insinuaverunt. Praeterea autem omiserunt, imo aspernati sunt fundamentum illorum dogmatum de peccato originali et de

passione Christi examinare, et interpretationem irae dei, ab Augustino inde traditam et in scholis receptam, novis curis in scripturam sacram impensis firmare, quum a Fausto Socino in dubium esset vocata. Is enim, qua erat animi sagacitate in investigando scripturae sacrae sensu, eam, quam nunc tractamus, rem non felicius solum, sed etiam rectius, quam theologi Lutherani et Calviniani, expedivit. Hi quidem statuerunt primum, iustitiam ipsam dei essentiam, legem vero diligendi dei, quasi aeternam et immotam regulam hominibus praescriptam, speculum iustitiae divinae esse, iidemque opposuerunt iustitiae misericordiam divinam. Addiderunt porro, iustitiam dei ad genus humanum peccatis immersum non nisi per iram referri posse. Collegerunt denique, propter iustitiam dei servandam poenas irati dei a Christo solvi oportuisse, priusquam dei misericordia hominibus peccatoribus per eundem Christum adhiberetur (instar omnium confer Io. Gerhardum *Tom.* I, *p.* 143. *Tom.* III, *p.* 171. *Tom.* VII, *p.* 30). Contra quam seriem sententiarum haec Faustus Socinus obiecit (*De Christo servatore* I, 1; confer *Praelectiones theologicas cap.* 16). „Iustitiae nomen, quum ad deum refertur, in divinis literis nunquam opponitur misericordiae, sed praecipue et plerumque rectitudinem et aequitatem significat. Ea vero res, quae ad deum relata misericordiae opponitur, non iustitia appellatur a sacris scriptoribus, sed vel severitas vel ira vel indignatio vel furor vel vindicta, vel simili quopiam alio nomine nuncupatur. Quin etiam — non minus iustus in exercenda misericordia, quam in ulciscendis iniuriis deus esse dicitur. Aequum enim est, et ideo iustum, deum promissa sua servare et resipiscentes peccatores gratia ac benignitate prosequi. — Postremo notandum est, quum iustitia, quatenus misericordiae opponitur, vere, ut dictum est, iustitia non sit, neque eo nomine in sacris literis decoretur, sed potius severitas et vindicta dici debeat, eam in deo vere non residere, nec dei esse qualitatem, seu mavis, proprietatem aliquam, sed tantummodo effectum voluntatis eius. Ea enim iustitia, quae in deo vere residet et qualitas seu proprietas eius est, adeo ut nihil ab eo fiat, quod eius sit expers, illa est, quae hac appellatione in divinis monumentis insignitur et rectitudo atque aequitas alio nomine dici potest. — Neque enim ideo punit deus perpetuo peccatores non resipiscentes, quia proprium sit eius, punire eos qui peccant, sed quia non resipiscentibus veniam non concedere, id demum naturae divinae et decretis eius et propterea rectitudini et aequitati debitum est ac consentaneum.“ Neque possumus neque volumus negare, hanc demonstrationem, a doctrina Lutherana et Calviniana tantopere alienam, etiamsi quid veri ei inest, quodammodo profectam esse ex decreto illo Sociniano minime probato de libertate dei quamvis necessitatem fugiente (confer Fock, *der Socinianismus p.* 417), ex quo consequuntur ea, quae locum laudatum Fausti proxime excipiunt, „deum, quemadmodum iure potuisset homines, licet peccantes, morti aeternae non mancipare, sic, postquam eos illi morti edicto suo mancipaverit, ex illius imperio iterum eos eximere et quidem iure sua sola voluntate potuisse.“ Hac summa de dei notione theologia Socinianorum Evangelicis, ex necessitate divinae essentiae argumentantibus, tam directo opposita est, ut nullis unquam artibus dialecticis ullam rem componere valuerint. Itaque ne mireris, Gerhardum (*Tom.* VII, *p.* 47 *seqq.*) sententias Socinianas de iustitia, ira et misericordia dei hoc tantum modo refutare, ut sua decreta repetat, eque decretis adversariorum talia consequi significet, quae ipsi nunquam agnovissent, non suspicatus, sua ipsius principalia dogmata ad doctrinas absurdas eadem ratione deduci posse. Verumtamen id quoque statuendum est, sententias illas Fausti, quas proposuimus, non necessario errores Socinianos sapere, sed solida accurataque scripturae interpretatione niti. Neque id quidem praetermittendum, sed singulari laude notandum esse videtur, quod recte observavit, dei voluntatem iustam in scriptura non aequali modo ad omnes in universum peccatores referri, sed ad obstinatos in malitia aliter atque ad resipiscentes per poenitentiam. Cui quidem laudi alteram hanc adiun-

gimus, quod idem propter ipsam voluntatis divinae aestimationem animum ad ea dei decreta advertere valuit, quae in foedere cum hominibus composito cernuntur, revelationem dei gradatim fines suos patefacientis speculum iustitiae divinae clarius opinatus, quam legem quandam dei immotam ut fertur et aeternam. Quamobrem Gerhardus, ut alios taceam, vituperandus est non solum propterea, quod demonstrationibus Fausti exegeticis de iustitiae divinae notione, quas non potuit quin quodammodo agnosceret, non melius usus est, sed etiam propterea, quod in efformandis dogmatis ecclesiasticis rationibus potius de deo arbitrariis, quam revelatione ipsius dei cognoscenda nitebatur.

Theologiae rationalisticae id potissimum nostris temporibus vitio vertitur, quod iram dei minimi aestimaverit, quam Hebraeos ex aevi incultioris ingenio ad tuendam legum suarum sanctitatem sibi finxisse perhibent non solum Wegscheiderus (*Institutiones theologiae, ed. quinta p.* 246), sed etiam Schleiermacherus (*Der christliche Glaube, ed. tertia, Tom.* I. *p.* 472), hac in re ab illa schola non dissentiens. Si igitur non inficiamur, contemto tam gravi religionis biblicae momento, theologiae christianae damnum quoddam inferri, tamen id demonstrasse nobis videmur, iniuriae huius ab asseclis talis disciplinae palam commissae fundamenta occulte iam a doctoribus orthodoxis, imo a patribus ecclesiae iacta esse. Qui quum affectum irae deo indignum ac notioni divinae iustitiae detrahendum esse censerent, quid aliud Rationalistae addiderunt, quam quod, religioni historice illustrandae studentes, rationem eruere conati sunt, qua talem affectum deo tribuendum esse veteres homines imaginati sunt? Neque sola hac re probatur, Rationalismum ideo in publicam ecclesiae doctrinam irrepere, fereque totam in ecclesia evangelica religionem obruere potuisse, quia iamdiu in animis theologorum orthodoxorum serpserat, imo stamina eius, ut ita dicam, a patribus intensa et ad posteros usque theologos translata erant. Sed nos ipsam in iram dei inquisituri ad id postea animum advertere debebimus, an notio iustitiae dei, per legem universalem expositae, doctoribus rationalistis et orthodoxis communis, cum ordine revelationi divinae insito recte conveniat, an potius ex ratiocinatione quadam arbitraria originem traxerit.

Utcunque haec res se habet, theologi recentioris aevi pietatem laudabilem erga scripturam sacram atque studium efformandorum dogmatum ecclesiasticorum ab auctoritate receptae apud vetustiores metaphysices liberum declaraverunt, quum verae sententiae irae dei indagandae denuo operam darent. Neque in mentem sane nobis venit, eos reprehendere, quod non omnes nec pari cura, neque via recta ad definiendum problema idemque solvendum intenderunt. Libenter enim concedimus, inter varia officia excolendi scientiam de religione christiana, eamque contra quoscunque errores defendendi, nostram quaestionem non tantam vim exercere, quae praecipuum in se alliciat doctorum studium. Itaque non parvi pendimus, quod Nitzschius S. V. in eo se continuit, ut veritatem sententiarum de ira dei affirmaret, quamvis ad eam explicandam ne verbum quidem adiunxerit, neque demonstraverit, cur iram dei neque ad peccatum originale neque ad passionem Christi retulerit (*System der christl. Lehre, ed. sexta p.* 176). Sed pro fine eius libri satis esse videtur, quod saltem quaestionem de ira dei in medium proposuit. — Quodsi tales recentiorum theologorum libros circumspicimus, quibus consulto disciplina dogmatica excolitur, poterit quispiam opinari, in libro Martenseniano nuperrime commendatissimo quandam de ira dei doctrinam et ipsam commendandam inveniri. Neque deest scriptor libri huic exspectationi eatenus, quod de redemtione per Christum perpetrata expositurus ad definiendam dei iram commoveri se passus est. Sed ut eruditionis exegeticae negligentissimum se exhibet, — quum exempli gratia deum per mortem Christi placatum esse, non nisi verbis ex Augustana confessione excerptis probet, — ita de ira dei disserens, artem expolitis

verbis defectum accuratarum sententiarum supplendi mirum in modum exercuit. Exordium facit (*Christl. Dogmatik, Berol.* 1856. *p.* 281) a nota illa vetustioris dogmatices thesi, redemtionem ad solvendam contradictionem inter dei amorem et iustitiam valere; quam ita explicat, ut peccatum tanquam impedimentum divini amoris illud damnum deo ipsi intulisse dicat. Sed a via theologorum orthodoxorum, quos dicunt, statim delabitur, asserens, tum peccatum in genere humano destrui oportuisse, ut illa contradictio deo insidens tolleretur, tum ira dei significari ipsum eius amorem sanctum tanquam impeditum, quominus hominum utilitatem et salutem provehat. Praeterea addit, revelationem divini amoris, quae ab altera parte ira appellanda sit, ab altera parte quasi tristitiam spiritu amoris sancto motam contemplandam esse, per quam ira in misericordiam mutetur. Haec autem declamatio neque cum veterum theologorum dogmatis convenit, neque ad imaginem irae divinae in scriptura sacra propositam respicit, neque tandem digna, quae ad cognoscendum deum adhibeatur, ratione nititur. Nam si Martensenius doctrinam veterum restituere voluit, cuius consilii speciem initio demonstrationis suae assumpsit, oportuit eum et iram dei ad iustitiam amori divino oppositam revocare, et docere, prius iram dei per mortem Christi placatam esse, quam peccati vis in homines tolleretur; oportuit tandem distinctis verbis eum agnoscere, Christum iram dei pertulisse, quod tamen frustra in libro eius quaeres. Si vero scripturam sacram secutus esset, ex qua sola rectae de deo notiones concipi possunt, non potuisset imaginari debilitatem illam et mollitiem animi divini ab ira per tristitiam ad misericordiam et vice versa fluctuantis. Nam voluntas quidem dei potest cum ira misericordiam permutare, certis illa rationibus permota; nulla autem necessitudine logica illa contraria ita inter se cohaerent, ut eandem animi commotionem a diversa tantum parte consideratam significent. At mittamus tam pravam mixturam traditionis theologicae atque imaginationis arbitrariae, neque salsam, neque orthodoxam minimeque veritati congruentem. — Compluria Thomasius Erlangensis (*Christi Person und Werk, Tom.* I. *ed. secunda p.* 347 *seqq.*) de ira dei bene observavit, primum significans eam esse efficaciam divinae sanctitatis adversus personas peccato culpaque implicitas; tum declarans effectum irae proprium in perimenda vita eque dei ecclesia exstirpandis peccatoribus cerni; innuens saltem denique, iram non prorsus convenire iis, quae de ratione poenarum divinarum aut statuuntur aut disceptantur, quum irae manifestationes ad resipiscentes in poenitentia castigandos eosdemque iuvandos, ad obstinate autem inobedientes deo perimendos et exstinguendos valere videantur. Si vero haec Thomasio auctore Lutheranismum sapiunt, propterea quod testimoniis scripturae sacrae concordant (conf. *praefationem libri laudati p.* V.), si Thomasius praeterea iure „theologos ecclesiasticos" incusat, quod notioni dei nimis tenui et nimia simplicitate laboranti studentes, iram dei non satis aestimaverint, nos quoque in suspicionem haereseos non incurremus, quod Faustum Socinum, cuius sententiae de ira dei Thomasius proxime accedit, ipsum propter scripturae veritatem in hac re detectam quasi Cryptolutheranum, laudibus debitis extulimus. Minus vero placet, quod Thomasius iram dei, priusquam ad ultimum effectum provehatur, hominem peccatorem ad cognoscendam et sentiendam culpam movere contendit. Quaerendum erit postea, an testimonia scripturae a Thomasio (*p.* 289) allata eam sententiam probent: notamus vero, si quid erroris in hac re commissum sit, id derivari e definitione sanctitatis dei p. 137 ab eo proposita, quam non possumus quin improbemus *). — Optime Langius collega S. V. (*Positive Dogmatik p.* 119. 120) de ira dei disputavit, disquisitionem quidem exegeticam convenienter fini libri sui praetermittens, sed irae divinae imaginem certis lineis rectissime adumbrans, atque

*) Quid ex Thomasii sententia ira dei ad passionem Christi fecerit, nondum possumus diiudicare, quia opus eius dogmaticum adhuc mancum est.

exemplis rei summopere accommodatis illustrans. Poterit quidem id solum in dubium vocari, an secundum scripturam sacram finis salvandi peccatoris irae dei revera insitus sit; sed id eximie Langius docuit, deo eam ob rem iram tribui, quia indignum eo sit, secundum legem iustitiae humanae poenam culpae accurate exaequare, quia potius scelera defectionis a lege dei et obstinati adversus eius providentiam animi non possint non violentos et terribiles et ab humana exspectatione longe alienos effectus potentiae eius peremtoriae excitare. Idem cautissime egit (*p.* 501 *seqq.* 517) in exponenda doctrina de peccato originali, quod maledictionem generis humani haereditariam irae dei non aequiparavit, et propterea, quamvis maledictionem illam a Christo pro hominibus patiente sensam esse perhiberet, ab ea opinione, Christum iram dei pertulisse, plane se abstinuit *(p.* 839 *seqq.).* — His tamen exemplis id opinamur nos effecisse, ut et studium commendetur, quod theologi recentioris aevi in rectius definienda ira dei ponunt, et nobis concedatur, operae pretium esse inquirere in eam rem accuratius et usum illius notionis in theologia dogmatica certis finibus circumscribere.

II.

Iam igitur investigaturi, quam materiam efformandi de dei ira certi dogmatis scriptura sacra praebeat, harum regularum summopere memores sumus, tum theologiam non obligari quibuscunque opinionibus usui ecclesiastico accommodatis iisdemque scripturae non convenientibus, tum sententias in N. T. propositas, quantumvis speciem aut claritatis aut obscuritatis prae se ferant, ex usu loquendi in Vetere Testamento sollemni rite explicandas esse, indeque explicari posse, nulla quadam regula interpretationis ecclesiastica adhibita. Libri vero sacri non continent membra systematis cuiuspiam divina mente concepti et elaborati disiecta, quae colligere suoque ordini reddere nobis tanquam theologis est iniunctum, sed testantur foedus dei cum hominibus per varios gradus exacultum, per quod v o l u n t a t e m suam erga hominum genus, certis finibus circumscriptam, exsecutus est, eandemque cognitioni sociorum foederis submisit. Quaecunque igitur de dei voluntate et efficientia libri sacri produnt, praecipue in definienda ratione inter deum et socios dei intercedente versantur, ita ut omnia, quae deus cum ceteris hominibus agit, vel quae ad totum genus humanum deo comparandum pertinent, per leges foederi divino insitas illustrentur. Quascunque tandem de deo sententias methodo theologica concinnare valebimus, ipsa haec methodus eo nititur, ut nihil de deo divinisque rebus in universum statuatur, quod non ad modum voluntatis dei in foedere condendo, conservando, defendendo, perficiendo declaratae revocatum sit. Perperam igitur imaginati sunt veteres theologi, scriptores sacros consulto docere de dei n a t u r a, de divina lege mentibus hominum n a t u r a l i t e r insita, de cognitione iustitiae divinae omnibus hominibus i n n a t a, de n a t u r a peccati originalis. Quod naturalismi theologici studium a fine scripturae sacrae ingenue perspecto plane abhorret, ita ut probe intelligas, quae huiusmodi veteres theologi orthodoxi statuunt, eos non ex scriptura diligenter explicata hausisse, sed aliunde ad eam perverse interpretandam attulisse. Si quis ergo contenderet, deum luce clarius in scriptura docere, omnes homines peccato originali obstrictos eam ipsam ob causam morti aeternae obnoxios esse, quia τέκνα φύσει ὀργῆς appellantur, si quis praeterea negaret, ad hanc veritatem efficiendam ulla disquisitione in sensum dicti Paulini opus esse, nos quidem metueremus, ne talis, quan-

tumvis traditioni ecclesiasticae addictus, lumini quod dicunt naturae in intelligenda scriptura maiorem quam fas est concederet auctoritatem. Nam id, quod Paulus illis verbis declarare voluit, ab accurata omnium de ira dei testimoniorum consideratione repeti debet; iis tantum illud dictum facile ad intelligendum esse videbitur, qui ut odium dei peccato cuique adversetur, secundum naturam quandam rerum postulant potius, quam ex scriptura sacra id demonstraverunt.

In Vetere Testamento ira dei fere non commemoratur, nisi ita ut oculis sive sensibus hominum quocunque modo appareat, vel in efficienda quacunque re cernatur. Competit hic sensus quodammodo vocibus Hebraicis significando illi animi motui accommodatis: אנף, זעף anhelare, זעם, קצף spumare, חמה, חרה ardere, עבר redundando transire fines, קנא rubrum esse, עשן fumare, unde derivantur nomina אף, זעם, חמה, חרון, קנאה, עברה, קצף. Convenit porro usus horum vocabulorum communi usui loquendi, secundum quem ira ab odio recte distinguitur.

Effectus irae divinae varii depinguntur. Principaliter vero et secundum libros vetustiores fere unice ira dei in exstinguenda subito et vehementer vita hominum (Num. 25, 11; Deut. 6, 15; 9, 8. 14. 19) ostenditur. Iuvabit potissimum observare, ignem ipsum, quo deus praesentiam suam Israelitarum genti patefecit, quantumvis sollemniter signum gratiae dei in medio populo a se electo habitantis esse soleat, aliquoties etiam ad perimendos homines quosdam converti (Lev. 10, 1. 2; Num. 11, 1; 16, 35). Quamobrem deus, tanquam aemulatione honoris incensus, ignis consumens appellatur (Deut. 4, 24; Hebr. 12, 29). Sed saepius media quaedam naturalia, quantumvis miraculose mota, ad exsequendam dei iram vitamque adimendam trahuntur. Inter ea in libris Mosaicis repraesentantur diruptio terrae, qua Korachitae deglutiuntur (Num. 16, 33), serpentes in populum saevientes (21, 6), lepra (25, 4. 5), gladius ab adversariis inferendus (Exod. 22, 23), siccitas terrae (Deut. 11, 17). Praeterea Lev. 26, 16—33; Deut. 32, 17—29 enumerantur tanquam instrumenta irae divinae omnia, quibus neces terribiles offerri solent. Adiicimus, plagas illas, quae plerumque a deo irato populo infliguntur (Exod. 30, 12; Num. 8, 19; 17, 11. 12; Ios. 22, 17. 18), pestem quandam significare videri. Quod in his exemplis omnibus licet observari, inflictionem necis vehementem et inopinatam, et cui nulla vi humana resisti possit, ad imaginem irae divinae adumbrandam adhiberi, hoc tanquam certum eius indicium in posterioribus libris consulto agnoscitur (Ios. 23, 16; Deut. 7, 14 cf. 2. Sam. 6, 7). Adstipulantur huic sententiae permultis comminationibus irae divinae prophetae paene omnes, quorum testimonia singulatim persequi longum est. Id solum notare nobis placet, eos praesertim impetus adversariorum bellicosos contra dei populum, necesque vario modo inde effectas (e. g. Ezech. 5, 12—17; 6, 12; 7, 15. 16; 14, 19) tanquam instrumenta irae dei tribuere solere. Quam vim peremtoriam e sententia scriptorum V. Ti. irae dei propriam esse ea quoque re confirmatur, quod et ira ad exstinguendos homines a deo effusa, et procellae, quae vi fulminum et ventorum terrae fundamenta quasi labefactare videntur, narium dei cuidam motui vehementi terribilique comparantur, cui nulla creatura resistere possit (Exod. 15, 8; Ps. 18, 9—16; Iob 4, 9; 19, 5. 13. 17; Ies. 5, 25; Mich. 1, 3. 4; Ierem. 4, 23—26; 10, 10; Ezech. 13, 13—15; 38, 18 seqq. Ies. 51, 15; 66, 15—17; Nahum 1, 6 seqq. Habak. 3, 6 seqq.). — Praeterea vero iram dei ad subiiciendum inimicorum potestati, inque exilium mittendum populum valere, ceteri historiarum scriptores (imprimis confer libros Iudicum, Regum, Chronicorum) nec non prophetae quidam (Deut. 29, 28; 31, 17; Ies. 10, 5. 6; Ier. 6, 11; 17, 4; 32, 37; Sach. 7, 14; Ps. 85, 2—8; 106, 40—42) auctores sunt. Nec mirum, talem effectum irae divinae neci violentae aequiparari, neque ita haec varietas sententiarum de ira dei interpretanda est, quasi diversa inter se ab eodem illo dei affectu repeti videantur. Nam Hebraei neces per iram dei inflictas propterea tam aegre tulerunt, quod vitam non solum naturalem everterunt, sed vitam in ecclesia dei exstinxerunt

(Num. 16, 33.) Quum igitur Hebraeorum religio eo niteretur, ut populus a deo electus quasi facie dei in se conversa viveret, et quum inter alia bona populo promissa etiam libertas eius et fortuna reipublicae secunda ad vitam a deo sancto sponsam pertinere viderentur, detrimenta libertatis publicae atque eversionem vitae violentam ab eadem ira dei, quippe qua deus faciem a populo suo averteret et occultaret (Ps. 27, 9; 89, 47. Deut. 31, 17. 18; 32. 19; Thren. 3, 43; Ies. 54, 8), descendere, prophetae suo iure praedicarunt. — Ab hac ratione irae dei, qua per solum effectum sensibus obiectum cognoscitur, recedere videntur ea testimonia V. Ti. non rara, quibus iram certis consiliis puniendi a deo initis subfuisse demonstratur. Huc pertinet, quod deus iratus sibi proponit, et cultores vituli aurei suo tempore perdere (Exod. 32, 10. 33—35), et populum contumacem in deserto retinere, ne ad terram promissam perveniat (Num. 32. 10—14; Ps. 95, 11), et gentes Canaanitarum non prorsus exstirpare, ut fides Israelitarum religiosa tentari atque explorari possit (Iud. 2, 21. 22), et potestatem regiam proli Salomonis adimere (1 Reg. 11, 9—13), et regno Iudae urbique Ierusalem suum praesidium subtrahere (2 Reg. 23, 26. 27). Tacemus alia. Neque vero horum consiliorum ratio ab idea irae divinae antea exposita plane recedit. Etiamsi enim damnum, cuius cuipiam inferendi deus iratus consilium capit, ab hoc animi divini affectu longo temporis intervallo distet, neque utrumque uno quasi oculorum obtutu comprehendi possit, tamen regula alioquin reperta in eo denuo observatur, quod ira dei verbis saltem minacibus sese declarat, nec praeter talem declarationem affectui animi divini proxime adiunctam in mentes hominum venire potest. — Nam hoc postremo considerandum est, compluribus aliis locis iram dei ad verba hominibus quibusdam dicta referri. Hac in re non est difficile intellectu, mandatum poenae alienius peremtoriae exsequendae ab ira divina derivari (Num. 25, 4. 5; cf. 1 Sam. 28, 18; 15, 18). Tunc, quum deus iratus et Davidem verbis incitaret, ut populum numerandum curaret (2 Sam. 24), et Amaziam regem alienis deis colendis incumbentem per prophetam aliquem admoneret (2 Chron. 25, 15), utroque effato id molitus est, ut primum populum peste quadam immittenda castigaret, porro Amaziam perditioni traderet. Restat igitur id tantum, quod deus Mosen, legationem ad regem Aegypti recusantem, irate increpuisse fertur (Exod. 4, 14). Desunt in hac de ira dei narratione perantiqua, quae de nece et perditione per illam hominibus aut inferenda aut minanda antea observavimus. Verumtamen non possumus quin ita rem expediamus, ut suspicemur, illud mandatum dei repetitum invito Mosis animo talem terrorem iniecisse, ac si de vita perdenda timere debuerit. Neque illud incertum relinquetur, quale crimen ira divina dignum Moses commiserit, quum modestia motus officium a deo sibi iniunctum suscipere recusaret.

Nam causa, qua dei ira adversus populum Israelitarum sive singulos Israelitas moveri traditur, per omnia V. Ti. testimonia eadem manet ac posita est in defectu a foedere, qualicunque modo perpetrato. Notissima est regula illa Num. 15, 27—31 proposita, si quis per imprudentiam sive errorem dei legem quandam transgressus sit, eum certo quodam sacrificio peccati remissionem impetrare posse; si quis vero quasi sublata in foedus divinum manu scelus commiserit, eum ex gente Israelitica exstirpatum iri. Illustratur haec regula narratione continuo adiecta, viro, qui diem sabbati colligendis lignis profanaverat, ex dei mandato lapidibus necem illatam esse, quia hoc delicto foedus inter deum populumque sancitum violatum erat. Quum igitur ira dei ad eiusmodi scelera vindicanda referri soleat, facile intelligitur, eam praesertim moveri et quod populus in deserto fidem providentiae divinae palam pernegavit, et quod alios deos deinceps colere est conatus, et quod contemta in deum spe subsidia aliarum gentium requirere solitus est, quorum omnium conspectum ex V. Ti. libris concinnare nos piget. Sed operae pretium est, ea alia enumerare, quae tanquam aequalia talibus sceleribus vindictam irae divinae excitavisse in

V. To. traduntur. In iis eminent delicta, quibus ordo cultus a deo instituti dirumpi videtur, si quis ad deum vel habitationem dei accedere ausus est, ea potestate non praeditus (Num. 8, 19; 16, 1—3; Lev. 10, 1), imprimis si quis laicus arcam foederis manu attigit (2 Sam. 6, 7). Addimus, irae dei minas contra eum iactari, qui omiserit vectigal illud pensitare, secundum quod deus cuiusque Israelitae reminisci, i. e. ut socium foederis eum agnoscere voluit (Exod. 30, 12—16)*). Praeterea irae dei obnoxium sese facit, si quis res deo proprias sibi sumpsit (Ios. 7, 1), vel dignitatem populi deo proprii censu more aliarum nationum habito profanavit (1 Chron. 27, 24); tunc si quis iusiurandum per deum factum violavit (Ios. 9, 20), vel divino oraculo fidem debitam abnegare visus est (Iud. 6, 39), vel prophetas, nuntios voluntatis divinae, irrisit ac contempsit (2 Chron. 36, 16). Id denique tanquam defectus a foedere divino aestimatur, si quis viduas et orbos suppressit (Exod. 22, 22—24), vel inimicis dei subsidium praestitit (2 Chron. 19, 2). Singulari modo commemoratur, iram dei in Israelitas effusam esse, quum Moabitas adeo oppugnarent, ut rex eorum sacrificato filio haereditario auxilium deorum suorum acquirere studeret (2 Reg. 3, 27), quasi hoc facinus in culpam Israelitarum nimis graviter eum prementium verteretur. Ex his, quae demonstravimus, poterit tandem iudicari, quid iram divinam adversus Mosen (Exod. 4, 24), tunc vero etiam adversus Aharonem et Mariam (Num. 12, 1—9) excitaverit. Quum enim Moses mandatum dei exsequi recusaret, Aharon et Maria autem officium fratri iniunctum aemularentur, sese opposuerunt voluntati consilioque dei foedus cum populo initum stabilientis et excolentis.

Si quid vero superest ad supplendam hanc nostram opinionem, non deerit nobis animum advertentibus eo, quod iram dei etiam ad alias nationes Israelitis inimicas ea ratione converti prophetae potissimum testantur, quia consilio divino ad populum electum pertinenti contumaciter adversati sint. Quia non opus erit, ut singula quaeque hac de re testimonia psalmistarum et prophetarum recenseamus, praecipuas tantum rationes commemorabimus, quibus deus, ut iram in alias nationes conferret, movebatur. Id vero evenit iis, qui id, quod deo proprium est, sibi rapuerunt, i. e. qui Israelitas suae potestati subiecerunt, (Ier. 50, 11. 17; Ezech. 36, 5), qui expugnando populo a deo electo contra deum ipsum tanquam ipsius inimici egerunt (Ier. 46, 10; 48, 26; 50, 24), vel obedientiam deo debitam abiecerunt (Mich. 5, 14), qui tandem ex malis, quae Israelitis acciderant, voluptatem ceperunt (Ezech. 25. 26). Ab altera parte deus, quum ira sua potentiam aliarum nationum frangat, populo suo auxilium ferre videtur (Habac. 3, 12. 13). Ea enim ratione praesertim Ezechiel oraculis admirandis demonstrat deum efficere, ut ab aliis nationibus cognoscatur, quis sit, nempe omnium rerum ac nationum dominus idemque patronus populi a se electi.

Prophetarum ope omnino factum est, ut imago irae divinae, antea latebris historiae unius populi quasi occultata, in conspectum omnium eveheretur, ita ut, quum ad sortes omnium nationum illustrandas adhiberetur, simul historiae totius generis humani secundum dei providentiam per-

*) Perperam hanc legem multi ita interpretantur (inter eos e. g. Oehlerus in art. *Opfercultus des A. T.* apud Herzogium, *Realencyclopädie Tom.* X. *p.* 630), quasi vectigal illud, כֹּפֶר primitus ad avertendam a populo dei iram mandatum sit, indeque colligunt talia, quibus falsam quandam explicationem sacrificiorum legitimorum adiuvare posse sibi videntur. Mirum saltem in modum tenorem verborum non considerantes non vident, proximum finem illius institutionis v. 16. significari: illud vectigal, quasi obtegens et repraesentans animas Israelitarum coram deo valere ad servandam iis memoriam domini (לְזִכָּרוֹן לִפְנֵי יְהוָה); v. 12 autem non nisi finis remotior illius praestationis indicatur: ne plaga Israelitis infligatur; haec vero admonitio id tantum declarat, vectigal illud inter principalia foederis firmati documenta censeri.

spiciendae regulam summam ostenderet. Scriptores quidem historiae populi a deo electi non solum id egerunt, ut irae dei renovatae deinceps et nonnunquam sedatae memoriam traderent, sed etiam, ut consilia dei de ira populo inferenda, quotcunque fuerunt, libris suis insererent. Quae si recte consideras, non potuerunt libros illos componere nisi instructi ingenio prophetico. Sed qui inter scriptores V. Ti. sensu arctiore prophetae appellantur, quibus munus iniunctum erat, dei mandata, admonitiones, minas, consolationes populi erroribus, sceleribus, poenitentiae ita accommodare, ut summum dei consilium huic populo sancitum conservaretur et expediretur, — hi omnes spiritu dei instructi vel, si mavis, secuti necessitatem quandam revelationi dei insitam, ad comprehendendos fines dei altiores latiusque patentes mentes extulerunt. Pronunciaverunt ergo iudicium dei non solum de populo electo, sed etiam de aliis nationibus exercendum, in quo ira dei omnes Israelitas foedere divino indignos, nec non omnes homines sceleratos deoque inimicos exstirpatura esset, ut novum foedus cum reliquis sociis populi Hebraeorum iniri, ceteraeque nationes eo recipi possent. Brevibus his verbis repraesentavimus conspectum spei prophetarum, quam per compluria secula singulatim mente conceptam, sensimque excultam, neque ab omnibus aequali modo expressam, neque tandem a quavis obscuritate exemtam esse non ignoramus. Tantum vero fecit haec futurarum rerum universarum illustratio per prophetas declarata, ut irae dei adversus Israelitas olim tam saepe repetitae finis ultimus in devorandis omnibus dei adversariis poneretur, ultra quem ei locus amplius non concedebatur. In hanc sententiam accedunt complures prophetae, dico Ioelem, Iesaiam, Ieremiam, Zephaniam, Obadiam, diem irae, sive diem domini statuentes, quem quidem posteri quique procrastinabant; eamque exspectationem etiam auctor libri Danielis praedictioni, quam efformavit, rerum omnium futurarum inseruit (8, 19).

Quum igitur iram dei violato quocunque modo foedere cum populo electo moveri, omnes religionis Hebraicae testes unanimi consensu declarent, non potest dubitari, quin affectus ille a sanctitate dei originem traxerit. Sanctum deum esse omnia V. Ti. documenta principalia proclamant, non eo sensu, ut cognoscatur, dei voluntatem perfecte convenire cum eius essentia, ut Thomasio (*l. c. p.* 137) videtur, — sed sola ratione eius rei habita, quod verus et unicus deus gentem Hebraeorum tanquam propriam sibi acquisitam habeat. Ideo sanctitas non praedicatur de deo praeter alia attributa eius essentiae, sed significat verum et omnipotentem deum, quatenus societate speciali cum populo a se electo coniunctus est *). Sicut ergo deus sanctus est, quatenus universam vitam populi electi condit et ad certum finem dirigit, ita sanctitatem exserit etiam perimendis tum iis ex illa gente oriundis, qui a foedere deficiunt, tum iis alienigenis, qui populum deo sociatum ideoque ipsum deum damno afficiunt. Itaque ira definitur affectus dei sancti peremtorius contra infideles foederi vel eius adversarios. Quam rem ita esse, probatur etiam expressis verbis Iosuae (Ios. 24, 19), et dicto Iesaiae 5, 16. Quod vero attinet ad iram divinam nationibus alienis inflictam, monemus, Ezechielem oraculis, quae a cap. 24 usque ad cap. 38 libri ab eo editi leguntur, iram identidem eo referre, ut nationes agnoscant, deum Iehovam esse, i. e. deum omnipotentem proprie deum gentis Hebraeorum sanctum esse, qui nationibus ipsis profligandis sese sanctum praestet (28, 22; 38, 16. 23). Qua ratione etiam intelligitur rectius, quam ex incultiore Hebraeorum ingenio, affectum irae deo aeterno, iusto et omnipotenti tribui, quatenus revelans Israelitis voluntatem suam finem quendam particularem sibi proposuerit, eique persequendo incubuerit. Intra hoc revelationis imperfectae spatium non potuit igitur fieri, quin deus speciem studii cuiusdam partium assumpserit, cuius documentum per V. T. saltem in ira ei adscripta

*) Confer doctam et acutam commentationem Ludovici Diestelii, collegae amicissimi, *Die Heiligkeit Gottes*, in *Jahrbücher für deutsche Theologie. Tom.* IV. 1859. I. *p.* 23.

exstat. Ad iustitiam vero dei ira in V. To. non revocatur, nisi quatenus deficientibus a foedere divino Israelitis interitum vel detrimentum parat (Ies. 5, 16). Nam ius suum deus soli huic populo statuerat, ceteras vero nationes in eius communionem nondum receperat. Itaque vindictam quidem inimicis dei extraneis, iustam vero retributionem sociis infidelibus et obedientiam contumaciter denegantibus per iram dei effici lex et prophetae saepenumero testantur.

Quae quum ita sint, videtur a notione irae divinae antea explicata plane abhorrere, quod pii quoque Israelitae in Psalmis libroque Iob (confer etiam Ier. 10, 24; Thren. 3. 1 seqq.) saepenumero de variis malis et calamitatibus per iram dei sibi illatis queruntur. Quod sicut cum normis, quae in V. To. nunc invenimus, convenire non videtur, ita ne illo quidem decreto theologico illustrari potest, iram dei cum peccato haereditario coniunctam esse, eamque ob rem a piis illis poetis sentiri. Nam quatenus pii sunt, secundum ipsam veterem illam theologiae formam inter Christi quantumvis demum futuri fideles sunt censendi, ob eamque rem a culpa peccati haereditarii liberi et ab experienda dei ira exemti. Sed res hac ratione expeditur. Nota est omnibus quaestio illa ab hominibus religioni V. Ti. summa pietate addictis multum pensitata, qua causa piis fortuna adversa, impiis secunda tam saepe acciderit. Quum igitur pii huius divinae dispositionis rationes ad liquidum perducere, et cum lege iustitiae divinae componere conarentur, id ipsum perspectae nondum ab illis dei providentiae iudicium est, quod calamitates suas, quantumvis vehementes et continuas easque comparatas tum fortunae impiorum tum suae fidei et obedientiae, ab ira divina in se descendere coniectarunt. Nam in religione demum christiana patet regula, secundum quam illa quaestio recte diiudicatur, cuius dimidiam partem iam Salomo, proverbiorum auctor, attigit (Prov. 3, 11. 12). Calamitates enim piorum non irae, sed castigationis paternae argumenta sunt (Rom. 8, 28; Hebr. 12, 5—11), fortuna vero impiorum secunda ad confirmandos eos in malitia eosque perdendos valet. Quod ergo in V. To. pii iram dei deplorant, non pertinet ad definiendam eius notionem, quam nos N. Ti. interpretandi causa quaerere instituimus.

Quem finem ut assequamur, simulque ea, quae iam exposuimus, confirmemus, eo nunc animum advertere placet, quam rationem inter iram ac misericordiam dei intercedere V. Ti. scriptores prodant. Hanc vero voluntatis sive affectus dei vicissitudinem in eo tantum modo observari licet, quo cum Israelitis agit, quoniam prophetae, quando iram dei ceteris nationibus comminantur, minime eo prospiciunt, ut eaedem in novum dei foedus recipiantur, et quando in hunc finem animos intendunt, irati dei iudicia iis imminentia plane praetermittunt. Quodsi in V. To. ira et misericordia dei inter se comparantur, haec res nullatenus adhibetur ad omnium gentium sive totius generis humani sortem a deo definiendam, sed in populi electi tantum fortunis explicandis continetur. Revocamus igitur in memoriam, iram dei in V. To. semper ita definiri, ut in certis effectibus cernatur, non autem ut pro continua voluntate dei habeatur, quae etiam a certis effectibus abstinere possit. Ira dei igitur, quae nisi in effectu quodam vel saltem in consilio divinitus declarato non ostenditur, certis temporis finibus circumscribatur necesse est. Itaque prophetae, quando irae divinae effectus annunciant, saepenumero adiungunt spem, fore ut ira cesset, et misericordia dei eam sequatur (e. g. Ies. 12, 1; Ier. 32, 36—42; Hos. 11, 8. 9; Amos 7, 3. 6; Mich. 7, 9; Ps. 85, 2—8). Neque vero fortuito talis exspectatio prophetis in mentem venit. Ratio enim, qua moventur, ut affectus dei illos permutari confidant, aliis locis V. Ti. permultis iisdemque maxime conspicuis satis illustratur. Nam iracundum deum in V. To. manifestari, Marcio temere finxit; sed foedus sancti dei cum populo a se electo conditum esse et servari eius gratia, auxilio, misericordia, tolerantia, omnes illius religionis vindices uno ore proclamant. Non ergo deum sanctum iracundum esse V. Ti. scriptores testantur; sed e contrario, quod deus iram differat, tanquam principalem eius virtutem

esse iidem profitentur (Exod. 34, 6; Num. 14, 18; Ps. 86, 15; 103, 8; 145, 8; Ioel 2, 13; Nah. 1, 3; Iona 4, 2; Nehem. 9, 17). Deus propter nomen suum, i. e. propterea quod sanctus Israelis est, ab ira exserenda se abstinere mavult (Ies. 48, 9). Sanctitati eius insitum est, quod in ira non perseverat, sed quod ira eius per gratiam et misericordiam erga Israelitas superatur (Hos. 11, 8. 9; Mich. 7, 18; Ps. 30, 6; 78, 38). Itaque ad gratiam deo sollemnem (Ies. 60, 10; Thren. 3, 31. 32; Ion. 4, 2; Dan. 9, 16) vel ad fidem eius populo electo servandam (Ies. 51, 22; 52, 6) provocant prophetae, quando rationem irae sedandae indicant. Cui rei optime congruit, quod simul postulant, ut populus ira percussus ad obedientiam deo exhibendam se revertat, qua demum conditione expleta deus gratiam suam denuo in Israelitas conferre possit (e. g. Ies. 10, 21. 25; 26, 20; 27, 5; Ier. 18, 8; Ion. 3, 9. 10; Zach. 1, 2. 3; 2 Chron. 12, 7. 12; 1 Reg. 8, 46—50). Eamque ob causam gratia dei et conversio populi coniunguntur (Ioel 2, 13. 14; 2 Chron. 30, 8. 9). In libris V. Ti. historicis exstant praeterea narrationes quaedam, quibus effici videtur, sacrificia etiam et oblationes ad placandam iram movendamque gratiam dei adhibita esse. Quam rem nunc eo libentius tractamus, quo graviores inde errores quibusdam theologis nostra sententia sunt oborti.

Optime monuit Hofmannus Erlangensis (*Schriftbeweis Tom. 2. p. 227*) vocem *ἱλάσκεσθαι* neque in V. neque in N. To. de efficacia sacrificiorum eo modo usurpari, quo secundum etymologiam Graecis sollemnis est, ut placari deum per sacrificium significet. Substitutum est a LXX interpretibus voci plane alio sensu instructae, כִּפֶּר עַל, quae per totum legis Mosaicae codicem eo refertur, ut quodvis sacrificium legitime mandatum vel praescriptum ad obtegendum oblatorem vel obtegendas animas oblatorum coram deo valeat, unde ne vox *ἱλάσκεσθαι* quidem in graeco bibliorum textu ad aliud obiectum applicatur. Quae res tam manifesta est, ut e. g. Delitzschius quoque non audeat in dubium vocare, legislationem Mosis sacrificia deo placando adhibenda neque statuere neque agnoscere (*Commentar zum Briefe an die Hebraeer p. 94 seqq.*). Ne vero, hoc concesso, doctrina de ira divina per Christi sacrificium placata infringi, vel saltem fundamento scripturae privari videatur, praesidium huic opinioni inde parare studet, quod quibusdam V. Ti. locis sacrificia dei iram placantia commemorantur. Quae tamen res recte excussa omnino ad explodendam illam opinionem nos ducet. Quum Israelitae cultu vituli aurei sese inquinavissent, eaque re iram dei de foedere violato excitassent, quam deus consilio eorum perimendorum declaravit, Moses deprecationem pro suis interponere conatus est, quam intercessionem, commemoratione patriarcharum firmatam, deus approbavit, ita ut consilii illius eum poeniteret (Exod. 32, 7—14). Quum populus de Korachitis peremtis indignaretur, deusque iratus inopinate pestem immitteret, deus iram eo sedari passus est, quod Aharon ex mandato Mosis suffimenta deo obtulit (Num. 17, 6—15). Quum propter censum populi a rege Davide institutum pestem populo deus immisisset, ira dei per sacrificia holocausta et eucharistica placata est (2 Sam. 24). Eodem fere sensu praescribit deus in libro Iob, ut amici Iobi per holocausta intercessioni Iobi adiungenda iram averterent, cuius periculum facere ipsi sermonibus iniuriis adversus deum plenis meruissent (Iob 42, 7—9). Videtur ergo deus sanctus his saltem exemplis deos aliarum nationum eo imitari, quod iram suam donis quibusdam sedari concessit. Sed plane aliter res se habet, modo accuratius eam consideres. Effectus sacrificiorum Davidis declaratur his verbis וַיֵּעָתֵר יהוה לָאָרֶץ „orationibus terrae cessit.“ Ab amicis Iobi postulantur oblationes eam ob causam, ut suppleant deprecationem a Iobo exercendam, cuius potissimum ratione habita gratia dei eis denuo concessa esse dicitur. Sed etiam incensio turis ab Aharone peracta convenit cum simplici oratione (Ps. 141, 2), qualem Moses prope montem Sinai deo obtulit. Oratio autem secundum religionem V. Ti. est appellatio nominis dei, i. e. dei, qualem in condendo

et servando foedere cum Abrahamo eiusque prole se exhibet. Significat ergo oratio agnitionem sollemnem dei per foedus ictum huic populo consociati. Itaque Moses defectum populi primum in deserto perpetratum deprecaturus, foedus cum patriarchis initum in memoriam dei revocat, fideique dei illis promissae recordationem facit, ut eum denuo populo inobedienti reconciliet (Exod. 32, 13). Ex his sequitur, ut intercessiones, quas recensuimus, ad sedandam dei iram eam ob causam valeant, quia foedus a populo violatum ab eius parte redintegratur, adhibitis in eum finem sollemnibus eis, quibus populi duces legitimi pro eo coram deo agere potuerunt. Quam rem clare et sufficienter confirmat locus 2 Chron. 29, 8—11. Narratur enim ibi, Hiskiam regem consilium foederis cum deo Israelis renovandi cepisse, ut iram a se et populo universo averteret, inque hunc finem a sacerdotibus et Levitis postulasse, ut, templo ab omni idololatriae apparatu purgato, deo suffimenta offerrent. Itaque his quoque narrationibus recte perspectis non alia ratio sedandae dei irae commendatur, quam quae a prophetis indicata est, ut populus ab inobedientia reversus foedus denuo instaurare debeat. Hoc solum discrimen observari licet, quod libri historici duces populi hanc rem per actus symbolicos pro eo egisse exhibent, prophetarum vero mandata ad uniuscuiusque animum moresque foederi divino revera conformandos spectant. Minime vero conatus illos foederis renovandi adhiberi licet ad sacrificium Christi illustrandum. Nam hoc sacrificiis pro peccatis in lege Mosaica institutis exaequatur; nunquam vero narratur, ad avertendam iram divinam sacrificia talia peracta, sed tantum holocausta et eucharistica sive suffimenta deo oblata esse. Hoc vero discrimen satis luculentum est, quod theologi scripturae sacrae studiosi, neque dediti opinionibus quantumvis in hominum consuetudine inveteratis, non debent praetermittere. Quaecunque enim divinae irae sedandae causa praestantur, in iis periculum quoddam fit, effectu certo nondum prospecto, ita ut deus e.g. secundam Mosis deprecationem pro populo oblatam non acceptaret (Exod. 32, 31—35); sed sacrificiis pro peccatis secundum legem peractis remissio peccatorum expetita per certam dei promissionem adiuncta est. Nam negotia illa intercessionis suscipiuntur, quum foedus laesum, ideoque gratia dei populo incerta sit; oblatio vero sacrificiorum legitimorum pro peccatis summa certitudine gratiae divinae foedere firmatae nititur. Itaque, quum apostoli vim mortis Christi secundum legem de sacrificio annuo pro totius populi peccatis offerendo explicarent, minime potuerunt ponere, gratiam dei hac demum oblatione populo dei vel toti hominum generi expetendam esse; sed e contrario indicaverunt hac ipsa sententia, gratiam dei nulla ira perturbatam totum opus Christi instruxisse. Omnia enim peccata, ad quae remittenda sacrificium Christi tanquam consummationem sacrificiorum pro peccatis annuorum valere perhibetur, hac re ipsa ita aestimantur, ac si omnia nonnisi errore et imprudentia commissa sint. Quodsi peccata, ad quae delenda sacrificium Christi refertur, talem speciem prae se ferunt, non potest fieri, ut iram dei ad ea vel ad Christi sacrificium ipsum pertinere ullo modo apostoli agnoscant, si modo credimus, eos legem Mosaicam recte intellexisse.

Iram dei ex V. To. illustratam summopere a notione odii diversam esse, nobis videmur recte docuisse. Sed ne eo quidem, quod interdum deus aliquid odisse praedicatur, talia colligenda sunt, quae sententiae de ira dei divulgatae praesidium afferre possint. Odit (שָׂנֵא) deus apparatum idololatriae ab Israelitis institutae (Deut. 12, 31; 16, 22; Ier. 44, 4), superbiam eorum, qui vitae luxuriosae dediti sunt (Am. 6, 8), rapinas sceleratas (Ies. 61, 8), dimissiones uxorum arbitrarias (Mal. 2, 16), malitiam et periurium (Zach. 8, 17), sollemnia a populo inobediente peracta (Ies. 1, 14; Am. 5, 21). Iterum testantur prophetae odium dei adversus facinorosos et mendaces (Ps. 5, 6. 7; 11, 5), adversus Esau (Mal. 1, 3), Ephraim (Hos. 9, 15), imo populum deo proprium (Ier. 12, 8; Ps. 106, 40). Intelligitur tamen, etiam hunc affectum ad singularia quaeque referri neque haec effata sic accipi posse, quasi religioni Hebraeorum dogma aliquod

de odio dei adversus genus hominum universum implicitum peccatis sit insitum. Contraria potius sententia universae foederis divini historiae est supposita, quoniam consilium tolerandi generis humani commemoratur eam ob causam, quia homines a iuventute in mala proclives, debilesque voluntate sint (Gen. 8, 21; confer Ps. 78, 38. 39). Minime saltem in N. To. odii dei adversus peccatores ratio ulla habetur, praeterquam quod effatum Malachiae de Esau deo peroso a Paulo laudatur (Rom. 9, 13).

Itaque investigaturi nunc, qua ratione ἡ ὀργὴ τοῦ θεοῦ in libris N. Ti. describatur, ei regulae explicationes nostras subiicimus, quod eandem notionem irae divinae animis Christi et apostolorum inesse oportet, quae in V. To. statuitur, nisi certis et indubitatis indiciis diversitas probatur. Ipse nexus inter utrumque librorum sacrorum codicem conspicuus interpreti N. Ti. officium iniungit, ut ad explicanda verba apostolorum vel domini ipsius adhibeat sententias, in V. To. iisdem verbis expressas, neque ab hac norma recedat, nisi ubi ea adhibita ineptias N. To. obtrudere cogatur. Copulatur vero N. T. cum Vetere ea potissimum re, quod praedictionem iudicii divini a prophetis exortam a Christo tum expletam esse, tum expletum iri testatur. Nam si Christum regni dei inter homines condendi nuntium et auctorem exstitisse intelligit, quicunque N. Ti. vel leviter gnarus est, accuratius inquirenti sermones domini ac comparanti eos cum prophetiis V. Ti. non potest dubium esse, quin hoc officium in eo nitatur, quod Christus, etiam divina potestate iudicii de omnibus hominibus instituendi ornatus, hoc ipsum ita exsecutus est, ut alteros fide in se ipsum instructos deo conciliaret, alterorum vero fidem sibi denegantium inimicitiam adversus deum confirmaret (Ioh. 5, 22. 24. 27; 3, 18—21; Matth. 10, 34—39). Quum vero haec ratio iudicii non satisfaceret vocibus prophetarum, externam hominum separationem praedicentium, hoc negotium a Christo et apostolis ad ulterius temporis momentum est dilatum. Ad hunc finem rerum omnium retulerunt igitur singula quaeque, quibus prophetae exspectationes suas de iudicio futuro descripserant et exornaverant; neque praetermiserunt eam ob rem, etiam annunciationem irae divinae adversus inobedientes et sceleratos exserendae renovare. Haec res perspicue repraesentatur talibus effatis, quae iram divinam expressis verbis tempori futuro vindicant. Eo pertinet, quod Ioannes baptista conversionem animi commendat, qua quis fugere possit ἀπὸ τῆς μελλούσης ὀργῆς (Matth. 3, 7; Luc. 3, 7); quod dominus de gente Israelitarum pronunciat: ἔσται ἀνάγκη μεγάλη ἐπὶ τῆς γῆς καὶ ὀργὴ τῷ λαῷ τούτῳ (Luc. 21, 23); quod Paulus profitetur, tum Christum suam ecclesiam servare ἀπὸ τῆς ὀργῆς τῆς ἐρχομένης (1 Thess. 1, 10), tum iram dei ἔρχεσθαι ἐπὶ τοὺς υἱοὺς τῆς ἀπειθείας (Eph. 5, 6; Col. 3, 6). Prophetarum exspectationi consonum praeterea id est, quod etiam apostoli sistunt ἡμέραν ὀργῆς, tanquam ultimum finem per iudicium divinum historiae hominum imponendum (Rom. 2, 5. 8; Hebr. 10, 25. 27; Apoc. 6, 16. 17). Ad quem diem spectant omnia, quae praeterea Ioannes in apocalypsi de ira divina, exemplis prophetarum (Ier. 25, 15; Ies. 51, 17. 22) usus, commemorat (11, 18; 14, 10; 16. 19; 19, 15). Denique de ira a Daniele (9, 26) ad finem temporis dilata disserit Paulus, ubi miserum statum rerum publicarum Iudaicarum ex ira finali, quae iam tunc efficax esse coeperit, deducit (1 Thess. 2, 16). His praemissis necessarium est, iram, a qua servatum iri iustificatos per Christum Paulus contendit (Rom. 5, 9; confer 1 Thess. 1, 10), ad ultimum iudicium referri. Deinde vero consentaneum videtur, ut loci Paulini 1 Thess. 5, 9; Rom. 3, 5; 4, 15; 9, 22 eodem modo intelligantur. Nam quum σωτηρία, quae irae dei 1 Thess. 5, 9 opponitur, unanimi apostolorum consensu ita intelligatur, ut fidelibus die demum iudicii suppeditetur, sequitur, ut etiam ira, illo loco commemorata, a Paulo ad ultimum rerum humanarum finem delegetur. Rom. 3, 5 deus appellatur ὁ ἐπιφέρων τὴν ὀργήν, haec vero verba versu sequenti aperte referuntur ad exspectationem iudicii futuri. Rom. 9, 22 explicantur σκεύη ὀργῆς

per *κατηρτισμένα εἰς ἀπώλειαν.* Nisi autem iam hac definitione sensus irae eschatologicus elucet, necessarium eum esse ideo probamus, quod idem versus eosdem Iudaeos a deo summa tolerantia tractari significat. Quum autem fieri non possit, ut deus eodem temporis momento cum iisdem toleranter agat iisdemque irascatur, opus est, ut ira, cuius exserendae deus consilium cepisse, et quae imminere ipsis dicitur, quos patienter toleravit, ad ultimum diem referatur. Itaque etiam loco Rom. 4, 15: *ὁ νόμος ὀργὴν κατεργάζεται,* eadem interpretatio vocis *ὀργή* apta erit. Quum enim lex dicatur efficere transgressiones, his vero ultimum dei indicium destinatum sit, ira hic memorata eo referenda esse videtur. Itaque in omnibus his N. Ti. locis, quos recensuimus, ira dei non repraesentatur nisi ita, ut effectus hominum perimendorum sive *τῇ ἀπωλείᾳ* tradendorum cum affectu animi divini coniungatur.

Sed quaeritur, an haec sententia V. Ti. usui adaptata etiam in reliquis tribus N. Ti. locis expressa sit. Inter ea primum ad Rom. 1, 18 animum advertimus, ubi verba: *ἀποκαλύπτεται γὰρ ὀργὴ θεοῦ ἀπ' οὐρανοῦ ἐπὶ πᾶσαν ἀσέβειαν καὶ ἀδικίαν ἀνθρώπων τῶν τὴν ἀλήθειαν ἐν ἀδικίᾳ κατεχόντων* — continent rationem cognoscendi, secundum quam in evangelio vis divina ad salutem Iudaeis et paganis parandam manifestatur. Nisi enim illa efficacia dei salutaris omnibus hominibus in evangelio praeberetur, relinquerentur irae divinae. Divulgata vero est apud interpretes epistolae Paulinae ea sententia, Paulum eam, quam ponit, manifestationem irae dei postea accuratius describere in vv. 24. 26. 28. Unde colligunt hanc opinionem apostoli esse, iram adversus paganos, quam deus propter scelus idololatriae conceperit, deinceps eo patefactam esse, quod deus ad graviora facinora illos induxerit. Sunt autem, qui iram dei etiam hoc loco de indicio extremo explicant. Qui etsi nexum orationis Paulinae non satis expediverunt, tamen ad iis assentiendum eo quodammodo incitamur, quod ira dei, ubicunque in epistola ad Romanos de ea sermo fit, ad finem omnium rerum trahitur. Quod quidem hic quoque non solum posse fieri, remota ea difficultate demonstrandum est, quae ex adhibita a Paulo praesentis forma *ἀποκαλύπτεται* oriri videtur, sed tota oratione accurate observata diiudicari debebit, utrum hic sensus verbis Paulinis cum necessitate tribuatur necne. Cui rei expediendae egregium adiumentum paravit recentissimus epistolae interpres, Schottius Erlangensis (*Der Römerbrief seinem Endzweck und Gedankengang nach ausgelegt,* 1858). Primum enim rectissime monuit, totam orationem inde a v. 19. non eo valere, ut probetur, cur dei ira in homines sceleratos et iniustos effundatur, — sicut praeter alios e. g. Meyerus statuit, — sed eo, ut illustretur, quomodo homines i. e. pagani *τὴν ἀλήθειαν ἐν ἀδικίᾳ κατέχουσιν.* Tum eo bene meruit, quod eorum sententiam refutavit, qui in cap. 2. Paulum non amplius de paganis, sed de Iudaeis disserere putarunt. E contrario Schottius orationem Paulinam ita institutam esse contendit, ut de iisdem in cap. 2. verba facere apostolus pergeret, quorum antea rationem habuit. Paulus igitur exordium facit a ratione, qua homines, patefacta excelsa dei potentia, veritatem quandam divinarum rerum cognoverint (1, 19. 20); tum exponit, eos veritatem de deo mentibus conceptam idololatria corrupisse (v. 21—23); deinde vero addit, deum eos in graviora scelera tradidisse, et omnino animum eorum perversum firmavisse (v. 24—32), ut demonstretur, paganos a defectu commisso non, utcunque vellent, reverti potuisse; finem denique orationi ita imponit, ut doceat, ne conscientia quidem morali, secundum quam nonnulli culpam aliorum cognoverint, eos a statu omnium separari (2, 1—4), sed hos ipsos sceleribus universorum addictos, neque rationi convertendae vitae studentes, iram indicio extremo coniunctam expertum iri (v. 5—8). Ergo quum tota Pauli oratio de veritate a paganis impedita hoc modo cohaereat, veremur, ne Schottius in sua interpretatione non constiterit, quum ipse (*l. c. p.* 143) scelera a deo cumulata ab ira divina sese manifestante derivaret; iudicamus potius, poenas illas divinas ideo commemorari, ut firmitas et immo-

bilitas erroris paganorum probetur. Deinde vero non possumus quin contendamus, vv. 5—8 in cap. 2. ita ad cap. 1, 18 respicere, ut finis orationis ad initium revertatur. Hac autem re tanquam necessarium confirmatur, iram dei his duobus locis non diverso sensu praedicari, sed utroque loco ad imaginem iudicii extremi referri. Itaque servatur hoc quoque loco ea ratio irae per totum V.T. observata, ut non absque effectu peremtorio deo tribuatur. Nam Paulus etiam exspectat, iram omnibus paganis illatum iri, nisi evangelio sese converti patiantur. Tantum vero abest, ut odium dei sive iracundiam continuam paganis obverti statuat, ut potius copias tolerantiae et patientiae divinae paganis manifestatas testetur (Rom. 2, 4). Tolerantia enim et iracundia ad eosdem eodem temporis momento valere non possunt. Addimus, Paulum etiam in hac re cum V. To. facere, quod iram dei non ad quodvis peccatum hominum referri docet, sed ad ea tantum, quae a veritate per iniustitiam impedita originem traxerint. Nam secundum V. T. prophetae nationibus eam ob rem tantum iram dei comminantur, quod veritatem religioni Israelitarum insitam contempserunt et suppresserunt. Quam rationem Paulus latioribus finibus circumscripsit, quum statueret, deum praeter foedus cum Israelitis conditum ceteris quoque nationibus quaedam veritatis de se cognoscendae vestigia proposuisse, easque iam eo, quod omnes idololatriae incumbentes veram potentiam et excelsitatem dei sibi manifestam in contraria vertissent, iram dei finalem meruisse. Quam ob causam hanc iram non ut prophetae sanctitati dei vindicavit, sed ad universalem eius iustitiam revocavit (*δικαιοκρισία* Rom. 2, 5).

Pergimus ad considerandum locum Eph. 2, 3: *καὶ ἦμεν* (sc. Iudaei) *τέκνα φύσει ὀργῆς ὡς οἱ λοιποί* (sc. pagani). Interpretatio horum verborum versabitur in solvenda ea quaestione, utrum Paulus novum aliquid descriptioni peccatorum actualium antea datae adiungat, an hanc ipsam descriptionem ad finem modo perducat. Itaque aut cum Harlessio statuemus, Paulum his verbis statum peccati originalis significare, aut assentiemur Meyero contendenti, Paulum non nisi adumbrationem vitae hominum perversae antea inchoatam consummare. Praemittimus ergo cum Harlessio, vocem *φύσει* respicere ad aliquam *θέσιν*, secundum quam Iudaei aliud quid esse videntur, quam filii irae; hanc rem autem non posse intelligi, antequam *τέκνα ὀργῆς* explicatum sit. Non dubitamus cum eodem, quin haec formula ex usu loquendi Hebraeorum descendens propriam certorum hominum qualitatem significet, ita ut verba, de quibus agimus, Iudaeos non solum esse dignos ira divina, sed obnoxios irae, destinatos ad iram experiendam indicent. Quum vero in irae dei notionem libris sacris sollemnem neque Harlessius neque alius horum verborum interpres accuratius inquisiverit, nobis saltem ius concedetur, ut, quae in scriptura sacra de ira divina invenimus, huic loco explicando adhibeamus. Est igitur periculum faciendum, annon notio irae futurae, quam ubique Paulus proclamat, etiam his verbis apta sit. Neque cedimus hac in re Harlessio praetendenti, formulam, de qua agitur, non spectare ad futurum aliquid, sed qualitatem praesentem quandam repraesentare. Nam haec opinio facile refellitur. Non solum dicitur *υἱὸς ἀπειθείας*, *υἱὸς εἰρήνης*, *τέκνα φωτός*, *τέκνα κατάρας*, sed etiam *υἱὸς ἀπωλείας* (Ioh. 17, 12), *υἱοὶ ἀπωλείας* (2 Petr. 2, 14), *υἱὸς γεέννης* (Matth. 23, 15). His sane exemplis probatur, nos non leviter agere, quum *τέκνα ὀργῆς* vertamus destinatos irae dei futurae. Deinde Harlessius recte monuit, voci *φύσει* respondere eam *θέσιν*, quod Israelitae propter societatem foederis divini contraria qualitate ornati esse videntur: *τέκνα θέσει ἐπαγγελίας*. Ea vero re ipse refellit suam opinionem veteri doctrinae adstipulantem, *φύσιν* a Paulo commemoratam referri debere ad peccatum Israelitis ceterisque hominibus innatum. Nam si secundum promissionem a deo datam in gratiam dei recepti esse videntur, ira dei ad qualitatem eorum definiendam ita refertur, ut universo statui vitae eorum accommodetur praeter ea, quae ab electione dei in eos redundarunt. Cogitandum igitur est de peccatis actualibus, praesertim quum iram dei alii peccatorum generi officere, quam eis, a quibus

voluntas dei manifesta plena libertate violatur, in scriptura sacra non invenerimus. His rationibus permoti non possumus quin iudicemus, verba Pauli nunc explicata praemissae descriptionis peccatorum actualium summam complecti. Iudaei, quales, praetermissa dignitate per foedus divinum eis iniuncta, ex sola ratione transgressionum foederis deinceps repetitarum aestimandi sunt, obnoxii sunt irae dei futurae, sicut omnes pagani, nisi per Christum denuo in gratiam divinam recipiuntur. Neque tandem iustum est, comparatis aliis Pauli sententiis vulgarem doctrinam, secundum quam iam peccato originali ira dei obverti traditur, apostolo imputare. Statuit quidem, mortem tanquam statum damnationis per iudicium dei ab Adamo ad omnes homines transiisse (Rom. 5, 12. 16). Sed considerari oportet, Paulum non permutare *τὸν θάνατον* et *τὴν ἀπώλειαν*, neque *τὸ κρίμα εἰς κατάκριμα* et *τὴν ὀργήν*. Nam iudicium de Adamo peccatore latum mortemque inde ad universam eius sobolem descendentem ostendit aut tolli salvandis per iudicium iustificatorium et per vitam Christi, aut firmari pereuntibus, propterea quod gratiam divinam contemnant (2 Cor. 2, 15. 16). Iram vero divinam nonnisi inobedientia et defectu actu commissis excitari, Paulus cum omnibus utriusque testamenti scriptoribus contendit. Quamvis autem consilium irae peccatoribus contumacibus inferendae, propter tolerantiam dei ad diem extremum dilatae, abrogari posse videatur, modo gratiae a Christo oblatae convertendis animis sese accommodent, tamen, perditionem ab ira divina peccatoribus illis revera inflictam tolli posse, nec Paulus, nec alius quis apostolus auctor est. Nisi enim iram divinam contra sententiam universae scripturae ita intelligis, ut effectum peremtorium ab eius notione seiungas, minime poteris congrue sententiae Pauli statuere, peccatores subesse irae dei, sed id tantum, eos subiectos esse consilio divino irae in iudicio extremo iis infligendae, nisi Christo fidem haberent. Distinguit igitur Paulus inter iram et consilium irae exserendae. Cum hoc consilio dei, quatenus ad statum gentis humanae actu peccatricis refertur, coniungit Paulus et tolerantiam dei et consilium gratiae poenitentibus applicandae. Ira tamen, i. e. motus animi divini efficax ad perdendos gratiae contemtores, nulla ratione cum gratia sive misericordia dei copulatur.

Cuius explicationis adiumentum firmissimum praebent verba Ioannis in evangelio 3, 36: *ὁ ἀπειθῶν τῷ υἱῷ οὐκ ὄψεται ζωήν, ἀλλ' ἡ ὀργὴ τοῦ θεοῦ μένει ἐπ' αὐτόν.* At hoc effatum ab aliis in contrariam prorsus sententiam verti, non ignoramus. Ut alios taceam, Thomasius (*l. c. p.* 289) literis longiore intervallo positis indicat, non posse dubitari, quin aliquid non possit manere, ubi antea non fuerit; itaque sententiam horum verborum interpretans contendit, iram dei, quae fidem Christo denegantes premat, statui peccati iis congeniti inhaerere. Sed si quem lectorem benevolum et studiosiorem eruditionis exegeticae, quam traditionis dogmaticae invenimus, ab eo petimus, ut consideret, consuetudinem usus dogmatici non semper convenire cum usu loquendi in libris sacris sollemni, nec unquam interpretem speciei verborum indulgere debere. Thomasius saltem, quum literis diductis significet, quam vim voci manendi sana cuiusque ratio vindicare soleat, dictorum quorundam Christi conspicuorum graviumque recordatus esse non videtur. Exstant enim apud Ioannem duo Christi de peccato effata insignia (9, 41; 15, 22. 24), in quorum altero vox *μένειν* mirum in modum usurpatur, unde tamen thesis Ioannea, de qua agimus, singulariter illustratur. Edicit dominus, peccatum omnino non esse nisi in odio, quo quis sibi officioque a patre sibi iniuncto resistat. Huic igitur rei comparata omnis inobedientia contra dei voluntatem ab hominibus, antequam ipse adesset, commissa ita iudicatur, ut propriam peccati vim nondum assecuta sit. Quum ergo de Pharisaeis, summa pertinacia plenaque conscientia fidem sibi denegantibus, pronunciat: *ἡ ἁμαρτία ὑμῶν μένει* (9, 41), significat peccatum aliquod manere, quod antea adfuisse sua iudicandi ratione pernegat. Quam ob rem ne nos quidem a veritate aberrabimus, quum sententiam Ioannis de ira dei super incredulo manente eandem rationem secuti

interpretabimur. Quum enim nostra totius scripturae sacrae perlustratione id effecerimus, ut iram dei non ad quamvis legis transgressionem, sed ad contumaciam tantum, qua voluntas dei manifesta vel violatur vel oppugnatur, referri intelligatur, quum deinde Christus testetur, contumaciam peccati irae divinae obnoxii per incredulitatem demum et inobedientiam erga se consummari, sequitur, ut apostolus, qui illa domini effata servavit, congrue domini totiusque scripturae suffragiis non nisi ita sentiat, ut iram dei, quae super obedientiam Christo denegante manebit, hoc delicto demum ipso moveri existimet.

Sed opus nobis est, quasdam adhuc observationes adiungere. Primum enim illa regula, secundum quam Christus ipse peccatum iudicari docet, plurimum facit ad solvendam eam quaestionem, quomodo sacrificium Christi ad remittenda omnia peccata antea commissa valeat, quoniam V. T. et populum electum et ceteras nationes peccatis talibus obrutas esse ostendit, quae iram dei moventia a remissione legitima exemta esse videntur. Haec res in N. To. non ita expeditur, ut Christus quasi reorum vicarius iram dei passus esse dicatur, sed ita, ut omnia delicta, quae secundum regulam quidem V. Ti. ira divina sunt digna, cum manifesta contra filium dei inimicitia comparata, per ignorantiam et animi levitatem commissa esse, itaque idonea aestimentur, ut legitime remittantur (confer Marc. 3, 28—30). In hac N. Ti. regula nititur, quod Paulus eosdem indulgentiam peccatorum assequi docet, quibus, nisi gratiae dei per Christum oblatae sese applicare velint, iram dei finalem comminatur. Attamen in loco, de quo egimus, Ioanneo non possumus quin notionem irae dei aliquatenus mutatam esse profiteamur. Ubicunque enim in libris sacris ira divina commemoratur, affectui animi divini effectus externus ita adiungitur, ut experientia hominum iram dei non praeter hunc effectum assequatur. Huic autem rationi unum illud Ioannis effatum non congruit. Neque vero omni ratione indiget, quod iram Ioannes consilio irae exserendae substituit. Nam etiam iudicium divinum a Christo institutum in evangelio Ioanneo ita describitur, ut observationem hominum subterfugiat, et in latebris animorum aut fide in Christum motorum, aut inimicitia ab eo aversorum contineri existimetur. Quodsi quis Christo fidem et obedientiam denegans iamiam iudicium dei expertus esse dicitur (3, 18), consentaneum est, eum irae dei subiectum esse, quamvis nullo vitae vel fortunae detrimento, quod sub oculos caderet, afflictum. Reservatur tamen, iram dei suam vim postremo in perimendis talibus infidelibus exserere.

III.

Disquisitis testimoniis de ira dei in sacra scriptura nobis occurrentibus postremo ei officio satisfaciendum erit, ut locum notioni irae divinae in disciplina dogmatica tribuendum certis finibus circumscribamus. Neque timemus, ne demonstratio nostra apud quosdam offensionem habeat, quum causam scripturae secundum se ipsam explicatae adversus admiratores cuiusvis traditionis theologicae agamus. Itaque primum definiemus, in quibus dogmatis efformandis ratio irae dei non habenda sit, deinde conabimur exponere, quomodo notio illa doctrinae christianae accommodari videatur.

1. Ira dei non debet referri neque ad peccatum originale, neque ad transgressionem Adami. Huius enim sententiae nullum testimonium in libris sacris exstat; praeterea vero haec sententia ea re excluditur, quod nonnisi defectus actualis a foedere divino, tunc perversio veritatis in idololatria nationum obvia, obstinatio tandem animi fidem Christo denegantis, sive peccatum in

spiritum sanctum irae divinae subiiciuntur. Iamiam notavimus, Paulum neque mortem Adami causa toti hominum generi immissam cum perditione peccatoribus contumacibus imminente, neque iudicium damnatorium, qua illa calamitas inflicta est, cum ira extremo iudicio adiuncta usquam vel exaequare vel miscere. Itaque etiam theologus, qui gradus peccati bene distinguet, de ira dei bene et apostolo congrue docebit. In hac re tamen non possumus non admirari levitatem, qua Thomasius (*l. c. p.* 348) statuit, vel potius ornatu oratorio usus contendere videtur, iram divinam, repraesentatam gladio Cherubis ardente, omnino pertinere ad excitandam in homine conscientiam culpae *), dum simplici cuique lectori libri Mosaici patet, bonitatem dei homines quaerentis suamque curam illis praestituri (Gen. 3, 8. 9) iisdem conscientiam culpae commissae iniecisse.

Non ignoramus tamen, errorem, quem oppugnamus, non solum ita refutari, ut sententiam ei contrariam in universa scriptura exhiberi ostendatur, sed etiam ita, ut erroris origo in lucem proferatur. Neque enim est nostrum, quum de quacunque veritate nobis persuasum est, aliter sentientibus errorem exprobrare, sed de errore eos convincere. Itaque non difficile est intellectu, eos, qui sicut Thomasius traditioni dogmaticae servandae student, eam ob rem iram dei ad notionem peccati Adami et haereditarii trahere, quod eis accidit, ut iam primum peccatum peccato in spiritum sanctum exaequarent. Cui errori praeterea suppeditat opinio vulgaris de primorum hominum statu omnibus numeris absoluto. Sed quomodo dicemus cum indole primorum hominum in libro Mosaico descripta convenire decretum eiusdem Thomasii, qui primis hominibus puram perfectamque dei conscientiam, voluntatem omnino bonam, amorem dei liberis convenientem tribuit (*l. c. p.* 216)? Talis opinio, qua primus homo ad gradum vitae christianae evehitur, ne dicam cum Christo ipsi exaequari, sicut omni scripturae sacrae fundamento indiget, ita secundum dialecticam rationem solo nititur studio demonstrandi, peccatum naturae humanae contradictorie oppositum esse. Ad quam tamen veritatem vindicandam non opus est, ut talia de Adami perfectione morali fingantur, quae auxilio narrationis de primis hominibus prorsus destituta sunt. Sed sicut omnes notiones theologiae dogmaticae usui venientes secundum imaginem filii dei concinnari debent, in quo etiam naturam humanam perfecte repraesentari fides nos certiores reddit, ita etiam plenam cognitionem peccati theologicam non assequemur, nisi id humanitati in Christi indole conspicuae comparaverimus, unde demum et status primorum hominum et peccatum eorum recte perspici possunt. Demonstravimus autem supra, delictum modo contumaciae in filium dei commissum, quippe quod cum plena peccati notione recte efformata conveniat, irae dei subiici, ita ut, quaecunque exempla animi in deum obstinati eiusque irae obnoxii historia hominum antecedens praebet, nedum peccatum Adami, imprudentiae et levitati tantum deputentur, ideoque per Christum remissione digna exhibeantur. Itaque non possumus quin opinionem contrariam, qua ira dei iam peccato Adami, et peccato ab eo ad posteros transfuso adiungitur, quantumvis specie orthodoxiae ornatam, attamen conditam ratione parum theologica, acerrime reiiciamus.

2. Deinde ira dei non debet adhiberi ad explicandam vim passionis et mortis Christi, aut

---

*) Addimus Thomasii verba ea ratione, ut intelligant lectores, si forte ea perperam interpretati simus, id nobis vitio verti non posse, quum auctor ille genere dicendi utatur, sermoni quidem ecclesiastico non inepto, exponendae vero doctrinae theologicae minime accommodato. „*Die nächste Manifestation des Zornes*“ dicit „*an dem Menschen ist die, dass sie in sein Gewissen eindringt und damit das Schuldbewusstsein mit seiner Qual und Pein in ihm wirkt. In dem Schuldbewusstsein also vollzieht sich das Gericht der Verwerfung zunächst innerlich im Menschen; denn es bezeugt ihm nicht nur seine Verwerflichkeit vor Gott, es stösst ihn geradezu von Gott, von dem Angesichte Gottes hinweg. Wie ein Cherub mit dem Flammenschwert treibt es ihn hinaus, wie ein zürnendes Auge blickt es ihn von innen an, wie eine Verkündigung des Fluches tönt es in seiner Seele wieder.*“

saltem alia prorsus ratione, quam quae apud theologos quosdam obtinet. Nam Christum dei iram passione morteque tanquam sacrificio pro peccatis placavisse, neque in scriptura sacra praedicatur, neque e notione sacrificii recte diiudicata concludi potest. Exposuimus supra, et quomodo aliquoties in V. To. sacrificia irae dei et poenitentiae populi electi interposita esse videantur, et qua ratione, ab illis extraordinariis plane diversa, utatur sacrificium Christi secundum apostolorum explicationem. Nam quum sacrificium Christi inter legitimas pro peccatis oblationes deputetur, valere videtur nonnisi ad remittenda peccata per imprudentiam et levitatem commissa, quae iram dei non meruerunt. Quum vero remissionem omnium peccatorum, nullo excepto, fidelibus per Christi sacrificium afferri profiteantur, indicant apostoli, peccata, antequam Christus adfuerit, commissa universa ab ira dei exemta esse, quippe quae comparata ad divinam veritatem in filio dei manifestam et imprudentia et levitate exorta sint. Prava igitur ratione miscetur theologiae christianae elementum religionis V. Ti., si statuitur, esse delicta quaedam irae dei obnoxia praeter directam inimicitiam adversus filium dei. Itaque evenit, ut propositio illa theologica de ira dei legitimo quodam sacrificio placata neque N. neque V. To. consentanea sit. Quominus autem hoc universe in theologia christiana doceatur, prohibet deinde mea quidem sententia id, quod, si qua dei ira sacrificio Christi averti sive placari recte diceretur, hoc sane ad fideles solos referri posset. Nam quod ad contumaces in deneganda Christo fide attinet, deberet doceri, iram dei contra illos per Christi mortem confirmatam esse, secundum 2 Cor. 2, 15. 16. Si quis igitur theologus suae rationi insisteret, ut sacrificium Christi ad placandam iram dei valere doceret, is deberet ex notione sacrificii biblica etiam id evincere, Christi morte iram dei etiam confirmatam esse. Quae res, quae quomodo expediri possit, non video, affert novum argumentum ei sententiae, irae dei in efformanda doctrina de sacrificio Christi rationem non posse haberi.

Sed ut sententia, cui nunc contradicimus, accuratius diiudicetur, ex re erit fundamentum perpendere, in quo illa condita est. Refertur enim ad id axioma, normam primitivam inter deum et genus humanum intercedentem esse legem dei universalem, viribus humanis explendam aut divinis poenis conservandam. Hanc regulam secuti sunt, qui postulant, ut Christus poenas toti hominum generi debitas persolverit, ne deus gratia per illum peccatoribus oblata a norma cum hominibus agendi primitiva discessisse videatur. Contra hanc autem coniecturam multa eaque validissima argumenta exstant. Nam quantopere in illo axiomate tota vetustioris theologiae dogmaticae forma nititur, tantopere ab indole revelationis divinae recedit. Nolumus quidem inficiari, legem Christi universalem de diligendo deo proximoque speculum iustitiae, imo essentiae dei nobis esse; sed id acerrime obtinemus, deum, sicut in edenda hac lege finem voluntatis suae hominibus patefaciendae assecutus est, ita exordium inde non fecisse. Non ignoramus, divulgatam inter theologos eam opinionem esse, hanc legem iam significatam esse Adamo, quippe cui deus vetaret, ne fructus arboris ederet. Sed mirum in modum errant, qui huic interdicto specialissimo legem agendi universalem substituere conantur. Deberemus porro plane immemores esse disciplinae Paulinae, si approbaremus, legislationem antecessisse exhibitioni gratiae, qua deus sobolem Abrahami elegit. Inverteremus tandem ordinem operis Christi minime obscurum, nisi intelligeremus, eum prius vim gratiae divinae sibi insitam ad condendum dei regnum exseruisse, quam fidelibus legem diligendi dei proximique perfectam explicaret. Neque cuiusquam iudicium subterfugiet, per Christum demum legem universalem dei hominibus propositam, per Mosen tamen legem modo particularem singulari populo datam esse. Itaque comparatione manifestae historiae revelationis divinae corruit illa imaginatio vetustioribus theologis sollemnis, quantumvis rationi competere videatur. Praeterea hoc quoque argumento refellitur. Indoles legis divinae ab auctoritate cuiuscunque humanae legis ita discernitur, ut, quum homo

cam expleat, voluntati certae personae obediat, dum legibus humanis voluntatem quandam universalem subesse fingatur, certis personis non alligatam. Ut ergo efficiantur ea, quae voluntas dei ab hominibus postulat, necesse est, ut providentia erga homines manifestata deus se ipsum, quali sit auctoritate, exhibuerit. Itaque providentia speciali, qua deus Abrahami sobolem elegit, et foedus cum ea iniit, nititur lex particularis huic populo data. Providentiam deinde specialissimam, qua deus paternum amorem peccatoribus per Christum ostendit, sequitur lex universalis, fidelibus ex quavis natione oriundis proposita. Ideo etiam interdictum specialissimum, quod primus homo accepit, id sibi voluit, ut auctoritas dei in eum constituatur, quam demum firmatam institutiones recte agendi excepissent, si Adam auctoritatem dei servasset. Itaque providentia specialis, non vero legis universalis latio normam manifestae inter deum hominesque rationis continet, quam ut intelligant theologi necesse est. Hoc tandem ea re confirmatur, quod peccatum hac appellatione proprie dignum secundum scripturam non recte definitur tanquam transgressio legis. Sed quatenus iram dei mereat, demonstravimus uberius, id cerni in voluntate providentiae dei speciali adversa, i. e. auctoritati legislatoris ipsi renitente. Itaque ea tantum legis transgressio proprie peccatum censetur, quae ad offendendam auctoritatem dei legislatoris, speciali erga hominem providentia exhibita constitutam, ascenderit. Ex his omnibus, quae exposuimus, nobis videmur probasse, nulla regula divinae revelationi insita eum niti, qui postulaturus sit, Christum poenas ab ira dei descendentes solvere debuisse, ut divinae legi universali satisfaceret, priusquam gratiam dei hominibus firmare posset.

3. Irae dei locus in doctrina theologica de eius iustitia vindicandus est. Institiam dico, non sanctitatem. Nam nisi in efformanda theologia christiana prorsus discedis a ratione scripturae sacrae, non poteris praetermittere observationem supra allatam, sanctitatem dei alligari tam arcte foederi cum gente Israelitarum instituto, ut deus non amplius sanctus praedicetur, ex quo per Christum ad universum hominum genus se convertit *), et in vocandis et regenerandis quibuscunque singulis hominibus spiritum suum sanctum exhibuit. Refertur autem ira dei ad eius iustitiam, qua significatur, deum in agendo cum hominibus sibi constare, sive manifestationes voluntatis eius hominibus datas convenire cum summo ipsius fine. Cui rei competit, deum iustum esse cognosci tum eo, quod societatem cum hominibus condit, quae secundum gratiam eius ad salutem peccatorum valet, tum quod peccatoribus, denegantibus deo societatem, vel contumaciter ei officientibus, iram infert. Qua duplicitate iuste agendi quis est, qui offendatur? Sed tamen quin affectus talis de deo praedicetur, multi sunt, qui dubitent. Non male quidem Lactantius disputavit (*l. c. cap.* XVII.), iram deo non tribui tanquam cupiditatem doloris rependendi, sed tanquam eum animi motum, quo etiam homines iustissime surgant, ut disciplina servetur, mores corrigantur, licentia comprimatur. Sed quum inde pergat, „iram, quae ad correctionem vitiorum pertineat, nec homini adimi debere, nec deo posse, quia et utilis sit rebus humanis et necessaria“, timemus, ne comparationem nostrae rei inutilem instituerit. Nam ira dei, ubicunque in historia sacra V. Ti. commemoratur, nullibi ita ad correctionem vitiorum refertur, ut vindictae species evitetur, quae homines saltem non decet; exempla potius irae dei illic obvia, quantumvis ad corrigenda vitia tendant, ad emendandos tamen peccatores, qua causa sola homines irasci decet, non referuntur. Iusta enim in hominibus ea ira est, cui tristitia et misericordia miscentur,


*) Bis tantum in N. To. nomen dei sancti occurrit, primum in epistola prima Petri 1, 15. 16, ubi verba Lev. 19, 2 laudantur et Christianis adaptantur, quos Petrus populo foederis veteris inseri supponit. Tum dominus ipse apud Ioannem 17, 11 patrem sanctum alloquitur ea sententia, ut necessitudinem sibi cum deo propriam significet. Quantopere ergo haec a regula supra posita discedunt, tantopere ei non contradicunt.

quod optime illustratur verbis Marci (3, 5) de Christo usurpatis: *περιβλεψάμενος αὐτοὺς μετ' ὀργῆς, συλλυπούμενος ἐπὶ τῇ πωρώσει τῆς καρδίας αὐτῶν*, — sed in deo ira, quando cernitur, a misericordia prorsus separata est. Itaque fieri non potest, ut iram dei tanquam affectum eius animo insitum definiamus et defendamus. Nam si rationem V. Ti. praesertim habemus, non possumus neque speciem studii partium suarum a deo amovere, neque ideo attributum illud dei defendere, sin comparamus iram divinam cum indole irae hominum iustae, tantum deest ad eius imaginem mente concipiendam, ut eam non possimus distincte definire. Nam si secundum exempla rerum humanarum tantum de iis licet iudicare, quae in deum cadunt, aut ira divina a iustitia abhorrere videtur, quia deus iratus, ut emendentur homines, non curat, aut nostram comprehensionem prorsus excedit, si eam a misericordia alienam, simulque iustissimam praedicare debemus. Qua in re tamen memores sumus cum Luthero (*Enarratio in Genesin ad cap.* 6, 5) eius regulae, ut tales quaestiones vitemus, quae nos protrahunt ad solium summae maiestatis.

Itaque propter fines, quibus humana mens circumscribitur, renuntiamus quidem solvendae ei quaestioni, quae ad a f f e c t u m animi divini definiendum spectare videtur, sed e f f e c t u s irae divinae sollemnes recte considerati multum facient ad iustitiam divinae voluntatis illustrandam. Hoc dicimus, solvi non posse cogitatione theologica eam quaestionem, quid sit ira in deo; attamen plurimum nostra interest diiudicare, quid in ordine revelationis divinae cognoscendo ira dei significet. Ita observatur summa cogitationis theologicae regula antea commemorata. Neque vero fortuito accidit, ut ab iisdem theologis ira dei ad formam iustitiae retributivae immobilem sibique constantem redigeretur, qui ius lege expressum primitus inter deum hominesque intercedere finxerunt. Consentaneum enim huic exemplo humanarum rerum esse videbatur, ut iudicium dei laesiones legis suae vindicantis etiam a specie studii partium liberaretur, quo iustitia eius perturbari posset. Hoc summopere eum decere videbatur, quippe qui legislator et iudex esset, simul autem a parte diversa staret, quam quae ab hominibus obtinebatur. Error eo commissus, quod interiecta iuris regula deum cum hominibus exaequabant, ita videbatur compensari, ut negato quovis voluntatis affectu super homines eveheretur. In neutra tamen re schola, quae dicitur orthodoxa, quippe quae iurisprudentiae theologiam superstruere tentaret, veritatem revelationi divinae insitam et in libris sacris patentem assecuta est. Neque iuvabit recentiores huius scholae sectatores, quod dignitatem irae divinae contra vetustiorem doctrinam de deo nimis tenuem nimiaque simplicitate laborantem vindicare student, nisi eo procedunt ut intelligant, rationem primitivam, quam inter deum hominesque ponunt, nimis gravi errore laborare. Nam iurisprudentia illa, quam primus Anselmus palam et consulto in theologiam introduxit, id efficit, ut deo comparato cum hominibus finis tantum individualis aut particularis vindicetur, nunquam autem finis eius summus et absolutus collustretur. Quum vero religio christiana ad summum et absolutum dei finem per filium eius hominibus patefactum et repraesentatum tendat, patet, omnes iurisprudentiae regulas a theologia removendas esse, si officium huic disciplinae proprium recte exsequi volumus.

Demonstravimus autem supra, rationem dei cum hominibus communem versari in providentia eius exhibita, praesertim vero rationem dei cum Christi fidelibus niti providentia eius specialissima, qua illos per Christum vocet perque spiritum sanctum regeneret. Itaque peccatum, hac appellatione plene dignum, quod iustam dei iram provocat, neque ullam remissionem adipisci potest, cernitur in deneganda vel rursus abiicienda fide in Christum. Deinde vero omnia mala, quae fidelibus accidunt, sive propria eius delicta sequuntur, sive a communi humani generis statu ad unumquemque descendunt, non amplius speciem poenae a iudice inflictae, sed castigationis a patre immissae prae se ferunt. Utrinque religio christiana normas iurisprudentiae excedit.

Nam ius saltem criminale cuique delicto poenam suam sistit, non vero talem, quae et resipiscentiam et conversionem hominis puniendi excludat, quoniam iudex humanus ab intimo animi motu iudicando se abstinet, et gratia principis remitti non possit. Itaque quum iurisprudentia theologiae quam dicunt orthodoxae inhaerens cursum suum, frenis religionis christianae abiectis, ad finem explevisset, sectatores disciplinae rationalisticae non potuerunt comprehendere, neque deum fideles non punire, neque cuiquam non posse delictum condonare. Inde manaverunt etiam in theologiam disceptationes illae, utrum poena in retribuendo delicto finem assequatur, an ad emendandam peccatoris voluntatem tendat, quae, quum minime ad religionem et ad theologiam pertineant, cultoribus iuris criminalis relinqui debent. Theologia enim non debet agnoscere nisi castigationem dei patris, quae ad emendandos fidelium animos paratur, et iram, quae in exstinguenda vita morali infidelium demum acquiescit. Utroque modo autem repraesentatur differentia inter ius legi cuidam alligatum et religionem christianam. Nam leges tanquam normae iuris instituuntur ad disponendos et servandos hominum fines individuales vel particulares; sed ordo rerum humanarum, qui religione christiana comprehenditur, et quem theologia interpretatur, in exsequendo fine dei summo et absoluto versatur. Quem qui sequitur inter homines, ita ut vitam per fidem Christo habitam secundum ipsum consulto componat, a poena quaque dei iudicis exemtus est, et castigatus potius a patre deinceps remissionem peccatorum et adiumenta vitae moralis experitur. Qui vero illi ordini per Christum manifestato se subiicere denegaverit, is tanquam irae divinae traditus ex societate vitae vere humanae, quippe fini dei summo alligatae, exstirpatur, nulla salutis spe relicta, quantumvis eius vita externo honore et bonorum copia ornata sit. Et quod in hac causa singulis hominibus a deo propositum est, hoc etiam de populis suspicari nobis licebit, quatenus in talibus rebus fidei religiosae subiectis iudicii certitudo hominibus permissa est. Etiamsi igitur ira dei tanquam affectus animi divini modum cogitationis humanae excedit, possumus ex effectibus eius, quas scriptura sacra testatur, recte perpensis eam definire tanquam certum argumentum iustitiae divinae ab humana diversae, quatenus valet ad defendendum adversus homines contumaciter deo fidem denegantes finem eius summum et absolutum, per Christum cum genere humano communicatum.



Bonnae, formis Caroli Georgi.



